



67 Libris Syda Wynn Jones
Smith & Co. Expts. Co. N. Y. 1803

DE VIRGINITATE
OPVSCVLA SANCTORVM
DOCTORVM, *N. S.*
AMBROSII, HIERONYMI,
ET AVGVSTINI.

Quæ sint ex antiquis exemplaribus emendata, & quæ
uarie legantur, in extremo libro ostendimus.



41199
Z BIBLIOTEKI
SEMINARIE
GANTZOWIERSKIE

*Domus Ladomirij
Scolarum Prætorij*

ROMAE, M. D. LXII.

Apud Paulum Manutium, Aldi F.

V. S. Ioannes Valentinus Antiquarius

DE VIRGINIA

N. B.

A MRRORSII HERONIA

ET AVORIBUS

Quibusdam...
Annotatio...

1710
1711
1712
1713
1714



1710
1711
1712
1713
1714

ROMA M. D. C. LXXI

Apud Paulum Maffei, Aldi

1710
1711
1712
1713
1714

DIVI AMBROSII
EPISCOPI MEDIOLANENSIS,
ad Marcellinam sororem suam,
de uirginibus liber primus.

S i iuxta cælestis sententiam ueritatis, uerbi
totius, quodcunque otiosum fuerimus lo
cuti, habemus præstare rationem: uel si
unusquisque seruus credita sibi talēta gratiæ spiritualis,
quæ nummulariis diuidenda forent, ut crescētibus mul
tiplicarentur usuris, intra terrā suam uel quasi timidus
fenerator, uel quasi auarus possessor absconderit; non
mediocrem domino reuertente offensam incidet: iure
nobis uerendum est, quibus licet ingenium tenue, ne
cessitas tamen maxima, eloquia Dei credita populi fe
nerare mentibus, ne uocis quoque nostræ poscat usu
ram, præsertim cū studium a nobis dominus, non pro
fectum requirat. unde scribendi aliquid sententia fuit.
maiore siquidem pudoris periculo auditur uox nostra,
quàm legitur. liber enim non erubescit. Equidem in
genio diffusus, sed diuinæ misericordiæ prouocatus ex
emplis, sermonem meditari audeo. nam uolente Deo
etiā asina locuta est. Quòd si mihi sub istius sæculi one
ribus constituto assistat angelus, ego quoque muta diu
ora laxabo. potest enim soluere impedimenta imperi
tiæ, qui in illa asina soluit naturæ. In arca ueteris testa
menti uirga floruit sacerdotis. facile Deo est, ut in sancta
Ecclesia de nostris quoque nodis flos germinet. Cur

Matth. 12.

Matth. 25.

Luc. 19.

Num. 22.

Ibidem 27.

A ii autem

D I V I A M B R O S I I

Exod. 3. autem desperandum quòd dominus loquatur in hominibus, qui est locutus in sentibus, nec rubum est dedit gnatus? atque utinam meas quoque illuminet spinas. Erunt fortasse qui etiam in nostris sentibus aliquem mirerentur lucere fulgoré, erunt quos spina nostra non urat, erunt quibus de rubo audita uox nostra soluat de pedibus calciamentum, ut impedimentis corporalibus exuat mentis incessus. sed hæc sanctorum merita uirorum.

Luc. 13. Utinam me sub illa infructuosa adhuc fide iacentem ex aliqua Iesus parte respiceret: ferret post triennium fructus & nostra ficus. sed unde tantum peccatoribus spei? Utinam saltem ille euangelicus dominicæ cultor uineæ ficum nostram fortasse iam iussus excidere, dimittat illam & hoc anno, usque dum fodiat, & mittat cophinum stercoreis: nam forte de terra suscitaret inopem, & de stercore

Psal. 112. erigat pauperem. Beati qui sub uite & olea equos suos alligant, laborem cursuum suorum paci & lætitiæ consecrantes, ne ficus adhuc, id est, illecebrosa deliciarum obumbret prurigo mundi, humilis ad altitudinem, fragilis ad laborem, mollis ad usum, sterilis ad fructum. Ac fortasse miretur aliquis, cur scribere audeo, qui loqui nequeo. Attamen si repetamus quæ legimus in euangelicis scripturis, & sacerdotalibus factis, ac nobis sanctus Zacharias propheta documento sit: inuenies esse quod uox non explicet, & stilus signet. Quod si nomen Ioannis reddidit patri uocem, ego quoque desperare non debeo, quin uocem licet mutus accipiam, si loquar Christum, cuius quidem generationem iuxta propheticum dictum quis enarrabit? Et ideo quasi seruus domini familiam prædicabo. Immaculatus enim dominus immaculatam sibi familiam etiam in hoc pleno colluui-

Luc. 1. num

Esa. 53.

num

num fragilitatis humanæ corpore consecrauit . Et bene procedit , ut , quoniam hodie natalis est uirginis , de uirginibus sit loquendum , & ex prædicatione liber sumat exordium . Natalis est uirginis , integritatem sequamur . Natalis est martyris , hostias immolemus . Natalis est sanctæ Agnes , mirentur uiri , non desperent paruuli , stupeant nuptæ , imitentur innuptæ . Sed quid dignū ea loqui possumus , cuius ne nomen quidem est uacuum luce laudis ? Fuit deuotio supra ætatem , uirtus supra naturam , ut mihi uideatur non hominis habuisse nomen , sed oraculum martyris , quæ indicauit quid esset futura . Habeo tamen unde mihi subsidium comparetur . Nomen uirginis titulus est pudoris . Appellabo martyrem . Prædicaui fatis , prolixa laudatio est quæ nõ quæritur , sed tenetur . Faceffant igitur ingenia , eloquentia conticescat . uox una præconium est . hanc senes , hanc iuuenes , hanc pueri canant . nemo est laudabilior , quàm qui ab omnibus laudari potest . quot homines , tot præcones , qui martyrem prædicant dum loquuntur . Hæc duodecim annorum martyrium fecisse traditur . quo detestabilior crudelitas , quæ nec minusculæ pepercit ætati . imino magna uis fidei , quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate . Fuit ne in illo corpusculo uulneri locus ? & quæ non habuit quo ferrum reciperet , habuit quo ferrum uinceret . At istius ætatis puellæ toruos etiam uultus parentum ferre non possunt , & acu districta solent puncta flere quasi uulnera . hæc inter cruentas carnificum impauida manus , hæc stridentium grauibus immobilis tractibus catenarum , nunc furentis mucroni militis totū offerre corpus , mori adhuc nescia , sed parata uel si ad aras inuita rapere-

tur ,

DIVI AMBROSII

tur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focus trophæum domini signare uictoris: nunc ferratis colla manusque; ambas inferere nexibus. Sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrii genus. Non dum idonea poenae, & iam matura uictoriae: certare difficilis, facilis coronari: magisterium uirtutis impleuit, quae praedudicium uehebat aetatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicii locum, laeta successu, gradu festina uirgo processit, non intorto crine caput compta, sed Christo: non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari plerique quod tam facile uitae suae prodiga, quam nondum hauserat, iam quasi perfuncta donaret. Stupere uniuersi, quod iam diuinitatis testis existeret, quae adhuc arbitra sui per aetatem esse non posset. Effecit denique ut ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur: quia quod ultra naturam est, de auctore naturae est. Quamto terrore egit carnifex ut timeretur, quantis blanditiis ut suaderet, quantorum uota ut sibi ad nuptias proueniret. At illa: Et haec sponsi iniuria est, inquit, expectare placituram. qui me sibi prior elegit, accipiet. quid percussor moraris? Pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneret trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dextram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo. Habetis igitur in una hostia duplex martyrium, pudoris, & religionis. et uirgo permansit, & martyrium obtinuit. Inuitat nunc integritatis amor, & tu soror sancta uel mutis tacita moribus, ut aliquid de uirginitate dicamus; ne ueluti transitu quodam praestrieta uideatur, quae

1. Timo. 1.

quæ principalis est uirtus. Non enim ideo laudabilis uirginitas, quia & in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres faciat. Quis autem humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali uoce complecti, quod supra usum naturæ sit? E cælo arcessiuit, quod imitaretur in terris. Nec immerito uiuendi sibi usum quæsiuit e cælo, quæ sponsum sibi inuenit in cælo. Hæc nubes aera angelos sideraque transgrediens, uerbum Dei in ipso sinu patris inuenit, & toto hausit pectore. nam quis tantum, cum inuenerit, relinquat boni? Vnguentum enim exinanitum est nomen tuum. Propterea adolescentulæ dilexerunt te, & attraxerunt te. Postremo non meum est illud, quoniam quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei in cælo. Nemo ergo miretur si angelis comparentur, quæ angelorum domino copulantur. Quis igitur neget hanc uitam fluxisse de cælo, quam non facile inuenimus in terris? nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit. tunc in utero uirgo concepit, & uerbum caro factum est: ut quod caro factum est, caro fieret Dei. Dicet aliquis: Sed etiam Helias nullis corpori coitus fuisse permittus cupiditatibus inuenitur: Ideo ergo curru raptus ad cælum, ideo cum domino apparet in gloria, ideo dominici uenturus est præcursor aduentus. Et Maria sumens tympanum pudore uirgineo chorus duxit. Sed considerate cuius illa speciem tunc gerebat. non ne Ecclesiæ, quæ religiosos populi cœtus, qui carmina diuina concinerent, immaculato uirgo spiritu copulauit? nam etiam templo Hierosolymis fuisse legimus uirgines deputatas. Sed quid Apostolus dicit: Hæc autem in figura contingebant illis, ut essent

Cant. 1.

Matth. 22.

Ioan. 1.

4. Reg. 2.

Exod. 15.

1. Cor. 10.

DIVI AMBROSII

essent indicia futurorum . figura enim in paucis est, ui-
 ta in pluribus. At uero posteaquam dominus in corpus
 hoc ueniens, contubernium diuinitatis & corporis sine
 ulla concretæ confusionis labe sociauit, tunc toto orbe
 diffusus corporibus humanis uitæ cælestis usus inole-
 uit. Hoc illud est, quod ministrantes in terris angeli de-
 cantarunt futurum genus, quod ministerium domino
 immaculati corporis obsequiis exhiberet. Hæc est cæ-
 lestis illa militia, quam laudantium exercitus angelorū
 promittebat in terris. Habemus ergo auctoritatem ue-
 rustatis a sæculo, plenitudinem professionis a Christo.
 Certe non est hoc mihi commune cum gentibus, non
 populare cum barbaris, non cum ceteris animantibus
 usitatum: cum quibus etsi unum eundemque uitalem
 aeris huius carpinus spiritum, uulgarem terreni corpo-
 ris participamus statum, generandi quoque non discre-
 pamus usu: hoc solo tamen naturæ parilis conuicia de-
 clinamus, quòd uirginitas affectatur a gentibus; sed
 consecrata uiolatur, incurfatur a barbaris, nescitur a re-
 liquis. Quis mihi præterdit Vestæ uirgines, & Palladis
 sacerdotes? Qualis ista est non morum pudicitia, sed an-
 norum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur?
 Petulantior est talis integritas, cuius corruptela seniori
 seruator ætati. ipsi docent uirgines suas nõ debere perse-
 uerare, nec posse, qui uirginitati finem dederunt. Qua-
 lis autem est illa religio, ubi pudicæ adolescentes iuben-
 tur esse, impudicæ anus? sed nec illa pudica est, quæ le-
 ge tenetur; & illa impudica, quæ lege dimittitur. O my-
 steria, o mores, ubi necessitas imponitur castitati, au-
 ditoritas libidini datur. itaque nec casta est, quæ metu
 cogitur; nec honesta, quæ mercede conducitur, nec
 pudor

Luc. 2.

3. 300

3. 300

3. 300

3. 300

3. 300

3. 300

3. 300

pudor ille, qui intemperantium oculorum quotidiano expositus cōuicio, flagitiosis aspectibus uerberatur. Conferuntur immunitates, offeruntur pretia: quasi non hoc maximū petulantiaē sit indiciū, castitatē uendere. Quod pretio promittitur, pretio addicitur, & pretio remuneratur. nescit redimere castitatē quæ uendere solet. Quid de sacris Phrygiis loquar, in quibus impudicitia disciplina est, atque utinā sexus fragilioris? Quid de Orgiis Liberi, ubi religionis mysteriū est incentiuū libidinis? qualis igitur potest ibi uita esse sacerdotum, ubi colitur sturum deorum? non habent igitur sacrā uirginē. Videamus ne forte aliquam uel philosophiæ præcepta formauerint, quæ magisterium sibi omnium solent uindicare uirtutum. Pythagorea quædam una ex uirginibus celebratur fabulis: quæ cū a tyrāno cogeretur secretum prodere, ne quid in se ad extorquendam confessionem uel tormētis liceret, morsu linguam abscidisse fertur, atque in tyranni faciem despuisse: ut qui interrogandi finem non faciebat, non haberet quam interrogaret. eadem tamen forti animo, sed tumentu utero, exemplum taciturnitatis, & proluuium castitatis, uicta est cupiditatibus, quæ tormentis uinci nequiuit. igitur quæ mentis potuit tegere secretum, corporis nō texit opprobrium. uicit naturam, sed non tenuit disciplinam. Quam uellet in uoce munimentum sui pudoris existere? eò fortasse erudierat illam pænitentia, ut culpam negaret. non igitur inuicta undique. nam & tyrannus licet non potuerit inuenire quod interrogabat, tamen quod non interrogabat inuenit. Quanto nostræ uirgines fortiores, quæ uincunt etiam quas non uident potestates: quibus non tantum de carne, & sanguine, sed etiam de

DIVI AMBROSII

ipso mundi principe, sæculiq; rectore uictoria est. Aetate utique Agne minor, sed uirtute maior, triumpho numerosior, constantia confidentior, non sibi linguam propter metum abstulit, sed propter trophæum referua uit. nihil enim habuit quod prodi timeret, cuius non erat criminosa, sed religiosa confessio. itaque illa secretum tantummodo cælauit, hæc probauit Deum: quem quia ætas nondum poterat confiteri, natura confessa est. In laudationibus solet patria prædicari, & parentes, ut in commemoratione auctoris dignitas successionis exaggeretur. ego licet laudationem non susceperim uirginitatis, sed expressionem, ad rem tamen pertinere arbitror, ut, quæ sit ei patria, quis auctor, appareat. ac prius, ubi sit patria, definiamus. si enim ibi est patria, ubi genitale domicilium: in cælo profecto est patria castitatis. itaque hic aduena, ibi incola est. Quid autem est castitas uirginalis, nisi expers contagionis integritas? atque eius auctorem quem possumus existimare nisi immaculatum Dei filium, cuius caro nõ uidit corruptionem, diuinitas non est experta contagionem? Videte igitur quanta uirginitatis merita sint. Christus ante uirginem, Christus ex uirgine, a patre quidem natus ante sæcula, sed ex uirgine natus ob sæcula. illud naturæ suæ, hoc nostræ utilitatis est. illud erat semper, hoc uoluit. Spectate aliud uirginitatis meritum. Christus uirginis sponsus, & si dici potest, Christus uirginæ castitatis. uirginitas enim Christi, non uirginitatis est Christus. Virgo est ergo quæ nupsit, uirgo quæ nos suo utero portauit, uirgo quæ genuit, uirgo quæ proprio lacte nutriuit. de qua legimus, quanta fecit uirgo Hierusalem. Non deficient de petra ubera, neque

DE VIRGINIBVS LIBER I. 6

Dix a Libano, aut declinauit aqua ualida uento, quæ portatur. Qualis est hæc uirgo, quæ trinitatis fontibus irrigatur, cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt ubera, mel la funduntur? petra autem est iuxta Apostolum Christus. ergo a Christo nõ deficiunt ubera, claritas a Deo, flumen a spiritu. Hæc est trinitas quæ Ecclesiam suam irrigat, pater, Christus, & spiritus. Sed iam a matre descendamus ad filias. De uirginibus, inquit sanctus Apostolus, præceptum Domini nõ habeo, consilium autem do. Si doctor gentium non habuit, habere quis potuit? et præceptum quidem non habuit, sed habuit exemplum. non enim imperari potest uirginitas, sed optari. Nam quæ supra nos sunt, in uoto magis quàm in magisterio sunt. Sed uolo uos, inquit, sine sollicitudine esse. Nam qui sine uxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quo modo placeat Deo. et uirgo cogitat quæ domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. nam quæ nupta est, cogitat quæ mundi sunt, quo modo placeat uiro. Non ego quidem dissuadeo matrimonium, sed uirginitatis attexo beneficium. Qui infirmus est, inquit, olera manducet. Aliud exigo, aliud admiror. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? ne quæsieris uxorem. hoc præceptum est copulatis. De uirginibus autem quid ait? Et qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. illa non peccat, si nubat: hæc si non nubat, æterna est. ibi remedium infirmitatis, hic gloria castitatis: illa non reprehenditur, ista laudatur. Conferamus, si placet, bona mulierum cum ultimis uirginum. lætet licet fœcundo se mulier nobilis partu: quo plures generauerit, plus laborat. Numerat solatia

1. Cor. 10.

Ibidem 7.

Rom. 14.

1. Cor. 7.

Ibidem.

B ii filiorum,

DIVI AMBROSII

filiorum, sed numeret pariter & molestias. Nubit, & plorat. Qualia sunt uota quæ flentur? Concipit, & grauefcit. prius utique impedimentum fœcunditas incipit afferre, quàm fructum. Parturit, & ægrotat. Quàm dulce pignus quod a periculo incipit, & in periculis desinit, prius dolori futurum quàm uoluptati, periculis emittitur, nec pro arbitrio possidetur. Quid recenseam nutriendi molestias, instituendi, & copulandi? Felicium sunt istæ miserix. Habet mater heredes, sed auget dolores. nam de aduersis non oportet dicere, ne sanctissimorum parentum animi contremiscant. Vide mi soror quàm graue sit pati quod non oportet audiri. et hæc in præfenti sæculo. Venient autem dies, quando dicant: Beata steriles, & uentres qui non genuerunt. Filix enim huius sæculi generantur & generant, filia autem regni abstinet a uoluptate uiri, & a uoluptate carnis, ut sit sancta corpore & spiritu. Quid ego famulatus graues, & addicta uiris seruitia replicem feminarum, quas ante iussit Deus seruire, quàm seruos? quæ eo persequor, ut indulgentius obsequantur. Quibus hoc, si probæ sunt, merces est caritatis: si improbæ, poena delicti. Hinc illa nascuntur incentiua uitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum uiris displicere formidant, & de adulterio uultus meditentur adulteriũ castitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturã quærere, & dum uerentur maritale iudicium, prodere suũ? prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est. ita, dum alii studet placere, prius sibi ipsa displicet. quem iudicem mulier ueriores requirimus deformitatis tuæ, quàm te ipsam, quæ uideri times? si pulchra es, quid absconderis? si deformis, cur te formosam

Luc. 23.

1. Cor. 7:

formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiaë, nec alie
 ni gratiam erroris habitura? ille enim alteram diligit,
 tu alteri uis placere. et irasceris si amet aliam, qui adul-
 terare in te docetur? male magistra es iniuriæ tuæ. Le-
 nocinari refugit etiam quæ passa lenonem est? Ac licet
 uilis mulier, non alteri tamen sed sibi peccat, tolerabi-
 lioraque propemodum in adultero crimina sunt. ibi
 enim pudicitia, hic natura adulteratur. Iam quanto pre-
 tio opus est, ne etiam pulchra displiceat. Hinc pretio-
 sa collo dependent monilia, inde per humum uestis
 trahitur aurata. Emitur igitur hæc species, an habetur?
 Quid quòd etiam odorum uariæ adhibentur illecebræ,
 gemmis onerantur aures, oculis color alter infunditur?
 quid ibi remanet suum, ubi tam multa mutantur? Sen-
 sus suos amittit mulier, & uiuere posse se credit? Vos
 uero beatæ uirgines, quæ talia tormenta potius quàm
 ornamenta nescitis, quibus pudor sanctus uerecunda
 suffusus ora, & bona castitas est decori. non humanis
 addictæ oculis, alieno errore merita uestra pensatis. ha-
 betis sane & uos uestræ militiam pulchritudinis, cui uir-
 tutis militat forma, non corporis, quã nulla extinguet
 ætas, nulla eripere mors potest, nulla ægritudo corrup-
 pere. solus formæ arbiter petitur Deus, qui eiam in cor-
 pore minus pulchro diligit animas pulchriores. Nõ ute-
 ri onus notum, non dolor partus, & tamen numerosior
 soboles piæ mentis, quæ omnes pro liberis habet. foe-
 cunda successoribus, sterilis orbitatibus, nescit funera,
 nouit hæredes. Sic sancta Ecclesia immaculata coitu,
 foecunda partu, uirgo est castitate, mater est prole. Par-
 turit itaque nos uirgo, non uiro plena, sed spiritu. pa-
 rit nos uirgo, non cum dolore membrorum, sed cum
 gaudiis

D I V I A M B R O S I I

gaudiis angelorum . nutrit nos uirgo , non corporis lacte , sed Apostoli , quo infirmam adhuc crescentis populi lactauit ætatem . Quæ igitur nupta plures liberos habet quàm sancta Ecclesia , quæ uirgo est sacramentis , mater est populis , cuius fœcunditatem etiam Scriptura testatur dicens : Quoniam plures filii desertæ magis quàm eius quæ habet uirum ? nostra uirum non habet , sed habet sponsum , eo quòd siue Ecclesia in populis , siue anima in singulis , sacræ doctrinæ uerbis sine ullo flexu pudoris , quasi sponso innubit æterno , effœta iniuriæ , fœta rationis . Audistis parentes quibus erudire uirtutibus , quibus instituere disciplinis filias debeatis , ut habere possitis quarum meritis uestra delicta redimantur . Virgo dei donum est , munus parentum , sacerdotium castitatis . Virgo matris hostia est , cuius quotidiano sacrificio uis diuina placatur . Virgo indiuiduum pignus parentum , quæ non dote sollicitet , non emigratione destituat , non offendat iniuria . Sed nepotes aliquis habere desiderat , & aui nomen acquirere . primum suos tradit , dum quærit alienos . deinde certis defraudari incipit , dum sperat incertos . confert opes proprias , & adhuc poscitur : nisi dotem soluat , exigitur . si diu uiuat , onerosus est . emere istud est generum , non acquirere , qui parentibus filia uendat aspectus . Ideo ne tot mensibus gestatur utero , ut in alienam transeat potestatem ? Ideo commendandæ uirginis cura suscipitur , ut citius parentibus auferatur . Dicit aliquis : Ergo dissuades nuptias ? Ego uero suadeo , & eos damno , qui dissuadere consuerunt , utpote qui Saræ , ac Rebeckæ , & Rachel , cæterarumque ueterum coniugia feminarum pro documentis singularium uirtutum recensere soleam . Qui enim

enim copulam damnat, damnat & filios, & ductam per
 successionum seriem, generis societatem damnat huma-
 ni. nam quemadmodum duratura in sæculum ætas suc-
 cedere posset ætati, nisi gratia nuptiarum procreandæ
 studium sobolis incitaret? aut quo modo prædicari po-
 test quòd immaculatus Isaac ad altaria Dei uictima pa-
 ternæ pietatis accessit: quòd Israel humano fitus in cor-
 pore Deum uidit, & religiosum populo dedit nomen,
 quorum originem damnat? Vnum sane licet sacrilegi
 homines habent, quod in his etiam a sapientissimis pro-
 betur: qui coniugia damnando profitentur, ipsi non
 debuissent nasci. Non utique dissuadeo nuptias, si fru-
 ctus sacræ uirginitatis enunero. paucarum quippe hoc
 munus est, illud omnium. nec potest esse uirginitas,
 nisi habeat unde nascatur. bona cum bonis comparo,
 quo facilius quid præstet eluceat. neque meam senten-
 tiam affero, sed eam repeto, quam edidit Spiritus san-
 ctus per prophetam. Melior est, inquit, sterilitas cum
 uirtute. Primum enim quod nupturæ præ ceteris con-
 cupiscunt, ut sponsi decore se iactent, eo necesse est im-
 pares sacris se fateantur esse uirginibus, quibus solis cõ-
 tingit dicere: Speciosus forma præ filiis hominum, dif-
 fusa est gratia in labiis tuis. Quis est iste sponsus? non
 uilibus addictus obsequiis, non caducis superbus diui-
 tiis, sed cuius sedes in sæculum sæculi, filiæ regum in ho-
 nore eius. Astitit regina a dextris tuis in uestitu deaura-
 to, uarietate circumamicta uirtutum. Audi igitur filia,
 & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum
 tuum, & domum patris tui, quoniã concupiuit rex spe-
 ciem tuam, quia ipse est Deus tuus. Et aduerte quan-
 tum tibi Spiritus sanctus scripturæ diuinæ testificatione
 detulerit.

Gen. 22.

Gen. 28. & 32.

Sap. 4.

Psal. 44.

3 D I V I A M B R O S I I

detulerit : regnum, aurum, pulchritudinem : regnum, uel quia sponsa es regis æterni, uel quia inuictum animum gerens, ab illecebris uoluptatum non captiua habes, sed quasi regina dominaris : aurum, quia sicut illa materies examinata igne pretiosior est, ita corporis species uirginalis spiritu consecrata diuino, formæ suæ acquirit augmentum. Pulchritudinē uero quis potest maiore existimare decore eius, quæ amatur a rege, probatur a iudice, dicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, semper innupta, ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor? Hæc profecto uera pulchritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire a Domino : Tota es formosa proxima mea, & reprehensio non est in te. ueni huc a Libano sponsa, ueni huc a Libano. transibis, & pertransibis a principio fidei a capite Sanir, & Hermon, a latibulis leonum, a montibus pardorum. Quibus indiciis ostenditur perfecta & irreprehensibilis uirginalis animæ pulchritudo, altaribus consecrata diuinis, inter occurfus & latibula spiritalium bestiarum non inflexa mortalibus, sed intenta mysteriis Dei meruisse dilectum, cuius ubera plena lætitiæ. Vinum enim lætificat cor hominis. Et odor, inquit, uestimentorū tuorum super omnia aromata. Et infra : Et odor, inquit, uestimentorum tuorum sicut odor Libani. Vide quæ nobis tribuas uirgo processum. primus enim odor tuus super omnia aromata, quæ in saluatoris missa sunt sepulturam : & mortuus corporis motus, membrorumque redolet obiisse delicias. Secundus odor tuus sicut odor Libani dominici corporis, integritatem uirginæ florē castitatis exhalat. fauum itaque mellis tua opera componant. digna enim uirginitas quæ apibus compare-

Cant. 4.

Psal. 103
Cant. 4.

comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apes, nescit concubitus, mella componit. ros quoque uirginis est sermo diuinus, quia sicut ros Dei uerba descendunt. pudor uirginis est intemerata natura. partus uirginis foetus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suauitatis, in commune labor, communis est fructus. Quàm te uelim filia imitatricem esse huius apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore cõponitur. Hanc imitare tu filia, uerba tua nullum doli uelamen obtendant, nullum habeant fraudis inuolucrum: ut & puritatem habeant, & plena grauitatis sint. meritorum quoque tuorum tibi æterna posteritas tuo ore pariat, nec soli tibi, sed etiã pluribus. quis scit enim quando a te anima tua reposita? ne receptacula horreorum frumentis coaceruata dimittens, nec uitæ tuæ usui profutura, nec meritis, rapiaris eò, quo thesaurum tuum ferre non possis. Diues igitur esto, sed pauperi, ut naturæ participes tuæ, participes sint etiam facultatum. Florem quoque tibi demonstro carpendum, illum utique qui dixit: Ego flos campi, & liliu conuallium, tanquam liliu in medio spinarum: quod est euidentis indicii, spiritalium nequitiarum sentibus uirtutes obsideri, unde nemo fructum referat, nisi qui cautus accedat. Sume igitur alas uirgo, sed spiritus, ut superuoles uitia, si contingere cupis Christum. In altis habitat, & humilia respicit. Et species eius sicut cedrus Libani, quæ comam nubibus, radicem in terris inserit. principium enim eius in cælo, posteriora eius in terris, fructus cælo proximos ediderunt. Scrutare diligentius tam bonum florẽ, nec ubique eum in pectoris tui conualle reperiẽs. humilibus enim frequenter inhalatur.

Cant. 2.

Psal. 112.

D I V I A M B R O S I I

Dan. 13.

Amat generari in hortis, in quibus eum Susanna dum deambularet inuenit, mori prius quàm uiolari parata.

Cant. 4.

Qui sint autem horti, ipse demonstrat dicens: Hortus conclusus soror mea sponsa: hortus conclusus fons signatus: eo quòd in hortis huiusmodi impressam signaculis imaginem Dei, sinceri fontis unda resplendeat, ne uolutabris spiritalium bestiarum, sparsò cœno fluenta turbentur. hinc ille murali septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. itaque sicut hortus furibus inaccessus uitem redolet, fragrat oleam, rosam renidet, ut in uite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ uirginitatis inolecat. Hic est odor, quem Iacob patriarcha fragrauit, quando meruit audire: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Nam licet plenus omnibus fere fructibus patriarchæ sancti fuerit ager: ille tamen fruges maiore uirtutis labore generauit, hic flores. Accingere itaque uirgo, & si uis huiuscemodi tibi ut hortus aspi-

Gen. 27.

ret, propheticus eum claude præceptis. Pone custodiam ori tuo, & ostium circumstantiæ labiis tuis, ut etiam tu possis dicere: Tanquam malus in lignis nemoris, ita fraternalis meus in medio filiorum. In umbra eius concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Inueni quem dilexit anima mea, tenui eum, & non relinquam eum. Descendat fraternalis meus in hortum suum

Psal. 140.

& manducet fructum pomorum suorum. Veni fraternalis mi, exeamus in agrum, pone me ut sigillum in cor tuum, & uelut signaculum super brachium tuum. fraternalis meus candidus & rubeus. Decet enim ut plene noueris uirgo quem diligis, atque omne in eo & ingenitæ diuinitatis, & assumptæ mysterium incorporationis agnoscas. Candidus merito, quia patris splendor. rubeus, quia

Cant. 7.

quia partus est uirginis . color in eo fulget , & rutilat utriusque naturæ . Memento tamen antiquiora in eo diuinitatis insignia , quàm corporis sacramenta : quia non cœpit a uirgine , sed qui erat uenit in uirginem . Ille discretus a militibus , ille lancea uulneratus , ut nos sacri uulneris cuore sanaret , respondebit tibi profecto : est enim mitis & humilis corde , blandus aspectu . Exurge aquilo , & ueni auster , aspira hortum meum , & fluant aromata mea . Ex omnibus enim partibus mundi odor sanctæ religionis adoleuit , dilectæ quo uirginis membra fragrarunt . Formosa es proxima mea , ut bona opinio , pulchra ut Hierusalem . Non caduci itaque corporis pulchritudo uel morbo peritura , uel senio , sed nullis obnoxia casibus opinio bonorum nunquam moritura meritorum uirginibus est decori . et quoniam non humanis iam , sed cælestibus , quorum uita uiuis in terris , digna es cõparari : accipe a Domino præcepta quæ serues . Pone me ut sigillũ , inquit , in cor tuũ , & uelut signaculum super brachiũ tuũ . Quo signatiora prudẽtiæ tuæ factorũque documenta promãtur , in quibus figura Dei Christus eluceat , qui paternæ ambitũ exæquas naturæ , totũ quidquid a patre diuinitatis assumpsit , expressit . unde etiã Apostolus in spiritu nos dicit esse signatos : Quoniam patriam patris imaginem habemus in filio , sigillum filii habemus in spiritu . Hac trinitate signati caueamus diligentius , ne quod accepimus pignus in cordibus nostris , aut morum leuitas , aut ullius adulterii fraus resingnet . Sed faceat hic sacris uirginibus metus , quibus tanta præsidia tribuit primum Ecclesia , quæ teneræ proli sollicita successu , ipsa quasi murus abundantibus in modum turrium increfcit uberibus , donec soluto obfidi-

non

C ii dionis

Ioan. 19.

Cant. 4.

Ephe. 1. & 4.

Pfal. 121.

Cantic. 7.

4. Reg. 6.
Iof. 5.

Marth. 22.

dionis hostilis incurfu, pacem ualidæ iuuentutis ma-
ternæ præsidio uirtutis acquirat. unde & propheta ait:
Fiat pax in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis.
Tum ipse pacis Dominus postquam ualidioribus bra-
chiis commissa sibi uineta complexus, palmites suos
gemmare conspexerit, uultu præfule nascentibus fru-
ctibus auras temperat, sicut ipse testatur dicens: Vineam
mea est in conspectu meo: mille Salomoni & ducenti
qui seruant fructum eius. supra ait, Sexaginta potentes
in circumitu propaginis eius strictis armatos telis, &
eruditos præliaribus disciplinis, hic mille ducentos.
creuit numerus ubi creuit & fructus: quia quo san-
ctior quisque, eo munitior. Sic Helisæus propheta exer-
citus angelorum præsidio sibi adesse monstrauit. Sic
Iesus Naue ducem militiæ cælestis agnouit. Possunt igitur
fructum in nobis custodire, qui possunt etiam mili-
tare pro nobis. Vobis autem uirgines sanctæ speciale
præsidium est, quæ intemerato pudore sacrum Domini
seruatis cubile. neque mirum si pro uobis angeli mili-
tant, quæ angelorum moribus militatis. meretur eo-
rum præsidium castitas uirginalis, quorum uitâ mere-
tur. Et quid pluribus exequar laudem castitatis? Casti-
tas enim angelos fecit. qui eam seruauit angelus est,
qui perdidit diabolus. Hinc religio etiam nomen acce-
pit. Virgo est quæ Deo nubit: meretrix quæ deos fecit.
Nam de resurrectione quid dicam, cuius præmia iam te-
netis? In resurrectione autem neque nubent, neque nu-
bentur, sed erunt sicut angeli, inquit, in cælo. Quod
nobis promittitur, uobis præsto est, uotorumq; nostro-
rum usus apud uos est. de hoc mundo estis, & non e-
stis in hoc mundo. sæculum uos habere meruit, tenere
non

non potuit . Quàm præclarum autem angelos pro-
 pter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cæ-
 lo , uirgines propter castimoniam in cælum transisse de
 sæculo? Beatæ uirgines, quas non illecebra sollicitat cor-
 porum , non colluuiò præcipitat uoluptatum . cibus
 parsimonia, potus abstinentiæ: docet uitia nescire, qui
 docet causas nescire uitiorum . Causa peccandi etiam
 iustos sæpe decepit . hinc populus Dei postquam sedit bi-
 bere , Deum negauit . hinc Loth concubitus filiarum
 ignorauit, & pertulit . hinc inuersis uestigiis filii Noe pa-
 tri quondam pudenda texerunt , quæ procax uidit , mo-
 destus erubuit , pius texit , offensurus si & ipse uidisset.
 Quanta uis est uini, ut, quem diluuiã non nudauerunt,
 uina nudarent ? Quid illud ? quantæ felicitatis est
 quòd nulla uos habendi cupiditas inflamat? pauper
 quod habes postulat, quod non habes non requirit : fru-
 ctus laboris tui thesaurus est inopi : & duo æra si sola
 sint , census est largientis . Audi ergo soror quantis ca-
 reas : nam cauere quid debeas , nec meum est docere ,
 nec tuum discere . perfectæ enim uirtutis usus magiste-
 rium non desiderat , sed informat . cernis ut pompa-
 rum ferculis similis incedat , quæ se componit ut placè-
 at , omnium in se uultus & ora conuertens , eo ipso,
 quo studet placere , deformior . prius enim populo dis-
 plicet , quàm placeat uiro . At in uobis reiecta decoris
 cura plus placet , & hoc ipsum , quòd uos non ornatis ,
 ornatus est . Certe lacera uulneribus aures , & depressæ
 onera miseræ ceruicis ; non sunt alleuamenta pœna-
 rum , sed discrimina metallorum . Hinc collum catena
 constringit , inde pedem compes includit . nihil refert,
 auro corpus oneretur, an ferro . Si ceruix premitur , si
 grauatur

Exod. 32.
 Gen. 19.
 Ibidem 9.

grauatur incessus, nil precium iuuat: nisi quòd uos mu-
 lieres, ne pereat uobis poena, trepidatis. quid interest,
 utrum aliena sententia, an uestra uos damnet? Hinc
 uos etiam miserabiliores, quàm qui publico iure dam-
 nantur: quòd illi optant exui, uos ligari. Quàm uero
 miserabilis illa conditio, quòd tanquam mancipii for-
 ma uenalis nuptura licitatur: & qui pretio uicerit, e-
 mat. tolerabilius tamen mancipia ueneunt, quæ saepe
 sibi dominos legunt. uirgo si eligat, crimen est: si non
 eligat, contumelia: quæ quamuis pulchra sit, & deco-
 ra, & timet uideri, & cupit. cupit, ut se carius uen-
 dat: timet, ne hoc ipsum dedeceat, quòd uidetur. Quan-
 ta autem uotorum ludibria, & ad procorum euentus su-
 specti metus, ne pauper illudat, ne diues fastidiat, ne
 pulcher irrideat, ne nobilis spernat. Dicit aliquis: Tu
 nobis quotidie uirginum canis laudes: quid faciã qui
 eadem quotidie cantito, & proficio nihil? sed non
 mea culpa. Denique de Placentino sacrandæ uirgines
 ueniunt, de Pononiensi ueniunt, de Mauritania ueni-
 unt, ut hic uelentur. magnam rem uidetis: hic tracto,
 & alibi persuadeo. si ita est, alibi tractemus, ut uobis
 persuadeamus. Quid, quòd etiam qui me non audiunt
 sequuntur: qui audiunt, non sequuntur? nam ple-
 rasque uirgines cognoui uelle, & prohiberi etiam pro-
 dire a matribus, & quod est grauius, uiduis, cum qui-
 bus hic mihi sermo est. nempe si hominem amarent
 filia uestra, per legem possent eligere quem uellent.
 quibus igitur hominem eligere licet, Deum non li-
 cet? Contuemini quàm dulcis pudicitia fructus sit,
 qui barbaricis quoque inoleuit affectibus. Ex ultimis
 infra ultraq; Mauritaniam partibus deductæ uirgines hic
 sacrari

sacrari gestiunt : & cum sint omnes familiæ in uinculis ,
 pudicitia tamen nescit esse captiua . profitetur regnum
 æternitatis, quæ mæret iniuriã seruitutis. Nam quid de
 Bononiensibus uirginibus loquar, fœcundo pudoris ag
 mine, quæ mundanis se deliciis abdicantes, sacrarium
 uirginitatis incolunt sine contubernali sexu, contuber
 nali pudore prouectæ ad uicenarium numerum, & cen
 tenarium fructum, relictoq; parentum hospitio tendunt
 in tabernaculis Christi indefessæ milites castitatis? nunc
 canticis spiritualibus personant, nunc uictum operibus
 exercent : liberalitatis quoque subsidium manu quæ
 runt. Quòd si inuestigandæ uirginitatis inoleuerit odor,
 (nanque præ ceteris speculandi uenatū pudoris explo
 rant) totis curarum uestigiis prædam latentem usque
 ad ipsa cubilia persequuntur : aut si liberior alicuius uo
 latus affullerit, totis omnes uideas assurgere alis, con
 crepare pennis, emicare plausu, ut casto pudicitia cho
 ro cingant uolantem, donec albenti delectata comita
 tu, in plagas pudoris, & indaginem castitatis, domus
 patriæq; oblita succedat. Bonum itaque si uirgini studia
 parentum quasi flabra pudoris aspirent . sed illud glo
 riosius, si teneræ ignis ætatis, etiam sine ueteribus nu
 trimentis sponte se rapiat in fomitem castitatis . Dotem
 negabunt parentes? sed habes diuitem sponsum, cuius
 contenta thesauro, patriæ successionis emolumenta non
 quæras . quanto dotalibus præstat cõpendiis casta pau
 pertas : & tamen quam audistis aliquando propter stu
 dium integritatis legitimæ factam successionis extor
 rem? contradicunt parentes, sed uolunt uinci : resi
 stunt primo, quia credere timent : indignantur frequẽ
 ter, ut discas uincere : abdicationem minantur, ut ten
 tent,

DIVI AMBROSII

tent, si potes damna sæculi non timere: quæsitis blandiuntur illecebris, ut uideant si uariarum mollire te non queat blanditia uoluptatum. exerceris uirgo dum cogaris. et hæc tibi prima certamina anxia parentum uota proponunt. Vince prius puella pietatem. si uincis domum, uincis & sæculum. Sed esto, maneant uos damna patrimonii: nonne caducarum, & fragilium dispendium facultatum, futura cæli regna compensant? Quamquam, si uerbis cælestibus credimus, nemo est, qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat septies tantum in hoc tempore, in sæculo autem uenturo uitam æternam possidebit. Crede fidem tuam Deo, quæ homini pecuniam credis. scenerare Christo. bonus depositæ spei custos, multiplicatis fidei tuæ talentum soluit usuris. Non fallit ueritas, non circumscribit iustitia, non decipit uirtus. Quod si non creditis oraculo, uel exemplis credite. Memoriae nostræ puella dudum nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias a parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. quod enim melius uirgo recurreret, quam ubi sacrificium uirginitatis offertur? Ne is quidem finis audaciæ. stabat ad aram Dei pudoris hostia, uictima castitatis, nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, nunc iustæ impatiens moræ, ac summum altari subiecta uerticem. Num melius, inquit, quam altare uelabit, quod sanctificat ipsa uelamina, frontem? plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidie consecratur. Quid agitis uos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animû? iam dudum prouisas habeo. Sponsum offertis? meliorem

Luc. 19.

rem reperi. quasilibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, potentiam prædicare: habeo eum, cui nemo se comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo. Si talem habetis, non refuto optionem. si non reperitis, non prouidetis mihi, sed inuidetis. Silentibus ceteris, unus abruptius, Quid si, inquit, pater tuus uiueret, innuptam te manere pateretur? Tum illa maiori religione, moderatiore pietate: Et ideo fortasse deficit, ne quis impedimentum posset afferre. Quod ille responsum de patre, de se oraculum, maturo sui probauit exitio. Ita ceteri eadē sibi quisque metuentes, fauere cœperunt qui impedire quarebant: nec dispendium de bitarum attulit uirginitas facultatū, sed etiam emolumentū integritatis accepit. Habetis puellæ deuotionis præmium. parentes caute offensionis exemplum.

DIVI AMBROSII, EPISCOPI

Mediolanensis, de uirginibus liber II.

UPERIORE libro, quantum uirginitatis munus sit, euoluimus. non enim potuimus explicare, ut per se cælestis gratia muneris inuitet legentem. secundo libro uirginem institui decet, & tanquam competentium præceptorum magistris erudiri. Sed quoniam nos infirmi ad monendum sumus, & impares ad docendum, (debet enim is, qui docet, supra eum, qui docetur, excellere) ne uel susceptum deseruisse munus, uel nobis arrogasse amplius uideremur, exemplis potius, quàm præceptis putauimus imbuendam, licet amplius proficiatur exemplo. quoniam nec difficile, quod iam factum est, existimatur, & utile,

D quod

D I V I A M B R O S I I

quod probatum, & religiosum quod hereditario quodam paternæ uirtutis usu, in nos est successione transfusum. Quòd si quis nos præsumptionis arguit, arguat potius sedulitatis, quia rogantibus uirginibus ne hoc quidem putauit negandum. malui enim me in periculum deduci pudoris, quàm non obsequi uoluntati earum, quarum studiis etiam Deus noster placido se indulget assensu. Sed neque præsumptio notari potest: quoniã cum haberent unde discerent, affectũ potius, quàm magisterium quæsiuerunt meum. Et excusari sedulitas nõ potest: quoniam cum haberent auctorem matris ad obseruantiam disciplinæ, non superfluum iudicauit, si nostri sermonis blanditiam deriuarent ad professionis illecebram. ille docere facilis, qui se uero uitia coercet affectu. nos qui docere non possumus, blandiamur. Et quoniam pleræque absentes nostri desiderabant sermonis usum: uolumen hoc condidi, quo profectæ ad se uocis meæ munus tenentes, deesse non crederent quem tenerent. Sed proposita persequamur. Sit igitur uobis tanquã in imagine descripta uirginitas, uitaque beatæ Mariæ, e qua uelut speculo refulget species castitatis, & forma uirtutis. hinc sumatis licet exempla uiuendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? nam de ceteris eius uirtutibus quid loquar? uirgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum aduleret affectum. corde humilis, uerbis grauis, animi prudens,

prudens, loquendi parcior, legendi studiosior; non in incerto diuitiarũ, sed in prece pauperis spem reponens; intenta operi, uerecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deũ quærere; non lædere reos, bene uelle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare uirtutem. Quando ista uel uultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando uitauit inopem? eos solos solita cœtus uirorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret uerecundia. nihil toruum in oculis, nihil in uerbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non uox petulantior: ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso uestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum: ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita, foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum pane ipsi naturæ defuisse? illic nulla intermissa tempora, hic congeminos ieiunio dies. et si quando reficiendi successisset uoluntas, cibus plerunque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit. et tamen cum quiesceret corpus, uigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat. prodire domo nec scia, nisi cum ad ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis. domestico operosa

secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quàm se ipsa: quæ incessu affectuque uenerabilis, non tam uestigium pedis tolleret, quàm gradum uirtutis attolleret: & tamen alios habeat uirgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. plures erunt, de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ uirtutes magistras habet: quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi a pluribus moneretur: sic omnia implebat uirtutis officia, ut non tam disceret, quàm doceret. Talem hanc euangelista monstrauit, talem angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eã parentes dilexerint, extranei prædicauerint, quæ digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus angeli inuenta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. neque enim comites feminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. quin etiam tum sibi minus sola uidebatur, cum sola esset. nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot propheta? Denique & Gabriel eam, ubi reuifere solebat, inuenit: & angelum Maria, quasi uiri specie mota, trepida, quasi non incognitum audito nomine recognouit. ita peregrinata est in uiro, quæ non est peregrinata in angelo, ut agnoscas aures religiosas, oculos uerecundos. Denique salutata obmutuit, & appellata respondit. sed quæ primo titubauerat aspectu, postea promisit obsequium. Quàm uero religiosa in propinquas fuerit, scriptura diuina significat. nam & humilior facta est ubi se a Deo cognouit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit, non utique

Luc. 1.

Luc. 1.

ut

ut exemplo crederet, quæ iam crediderat oraculo: Beata enim, inquit, quæ credidisti. Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti autem interuallo temporis non fides quaritur, sed pietas exhibetur. Et hoc postea quàm in utero parentis exiliens puer matrem Domini salutauit, prius compos deuotionis, quàm naturæ. Inde tot sequentibus signis, cum sterilis pareret, uirgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, expectaret Simeon, sidera nuntiarent: Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum: conseruabat, inquit, hæc omnia in corde suo. Quamuis mater Domini, discere tamen præcepta Domini desiderabat: & quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat. Quid quòd annis quoque omnibus ibat in Hierusalem solenni die Paschæ, & ibat cum Ioseph? Vbi que in uirgine comes singularum uirtutum est pudor. hic indiuiduus debet esse uirginitatis, sine quo nõ potest esse uirginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit, hæc est imago uirginitatis. talis enim fuit Maria, ut eius unius uita omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probemus: ut quæcunque sibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in una uirgine species uirtutum emicant: secretum uerecundiæ, uexillum fidei, deuotionis obsequium, uirgo intra domum, comes ad mysterium, mater ad templum. O quantis illa uirginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet dicens: Hæc thalami mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore. Quemadmodum eas ipse Dominus commendabit patri: nimirum illud repetens suum: Pater sancte, istæ sunt, quas seruauit tibi, in quibus filius hominis caput reclinans quieuit.

Luc. 1.

Ibidem 2.

Ioan. 17.

peto

peto ut ubi ego sum, & ipsæ sint mecum. Sed non solum sibi debent prodesse, quæ non solæ uixerunt sibi. hæc parentes redimat, hæc fratres. Pater iuste, mundus me non cognouit, istæ autem me cognouerunt, & mundum cognoscere noluerunt. Quæ pompa illa, quanta angelorum lætitia plaudentium, quòd habitare mereatur uirgo in cælo, quæ cælestem uitam uixit in sæculo? Tunc etiam Maria tympanum sumens, choros uirginales excitabit cantantes domino, quòd per mare sæculi sine sæcularibus fluctibus trāsierunt. tunc unaquæque exultabit dicens: Introibo ad altare dei, ad deum qui lætificat iuuentutem meam. Immolo Deo sacrificiū laudis, & reddo altissimo uota mea. Neque enim dubitauerim uobis patere altaria, quarū mentes altaria Dei cōfidenter dixerim, in quibus quotidie pro redemptione corporis Christus immolatur. nam si corpus uirginis Dei templum est, animus quid est, qui, tanquam membrorum cineribus excitatis, sacerdotis aterni redopertus manu, uaporem diuini ignis exhalat? Beatæ uirgines, quæ tam immortalis spiratis gratia, ut horti floribus, ut templa religione, ut altaria sacerdote. ergo sancta Maria disciplinam uitæ informet, Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum uirginitatis ueneratione mutauit. nanque parata ad feras, cū aspectus quoque declinaret uirorum, ac uitalia ipsa sæuo offerret leoni, fecit ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. cernere erat lingentem pedes bestiā, cubitare humi, muto testificantem sono, quòd sacrum uirginis corpus uiolare non posset. ergo adorabat prædam suam bestia, & propriæ oblita naturæ, naturam induerat,

Ibidem.
Exod. 15.

Pfal. 42.
Pfal. 49.

induerat, quam homines amiferant. Videres quadam naturæ transfusione homines feritatē indutos sæuitiam imperare bestię, bestiam exosculantem pedes uirginis docere quid homines facere deberent. tantum habet uirginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. non impastos cibis flexit, non citatos impetus rapuit, non stimulos ira exasperauit, non usus decepit affuetos, non feros natura possedit: docuerunt religionem, dum adorant martyrem: docuerunt etiam castitatem, dum uirgini nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis, tanquam uerècundantibus ne mares aliqui, uel bestia uirginem nudam uideret. Dicit aliquis: Cur exemplum attulisti Marię, quasi reperiri queat, matrem Domini quę possit imitari? cur etiã Theclę, quam gentium doctor instituit? da huiusmodi doctorem, si disciplinam requiris huiusmodi. recens uobis exemplum profero, ut intelligatis Apostolum non unius esse doctorem, sed omnium. Antiochię nuper uirgo quędam fuit fugitans publici usus: sed quo magis uirorum euitabat aspectum, eo amplius incendebat. pulchritudo enim audita, nec uisa, plus desideratur, duobus stimulis cupiditatum amoris, & cognitionis, dum & nihil occurrit quod minus placeat, & plus putatur esse quod placeat, quod non iudex oculus explorat, sed animus amator exoptat. itaque sancta uirgo, ne diutius alerentur potiendę spe cupiditatis, integritatem pudoris professã, sic restrinxit improborum faces, ut non iam amaretur, sed produceretur. Ecce persecutio. Puella fugere nescia, certe pauida, ne incidere in insidiatores pudoris, animum ad uirtutem parauit, tam religiosa, ut mortē non timeret: tam pudica, ut

D I V I A M B R O S I I

ut expectaret. Venit coronæ dies, maxima omnium expectatio. producitur puella, duplex professa certamen & castitatis, & religionis. Sed ubi uiderunt constantiam professionis, metum pudoris, paratâ ad cruciatus, erubescens ad aspectus, excogitare cœperunt, quemadmodum specie castitatis religionem tollerent: ut cum id abstulissent, quod erat amplius, etiam id eriperent, quod reliquerant. aut sacrificare uirginem, aut lupanari prostitui iubent. Quo modo colunt Deos suos qui sic uindicant? aut quemadmodum ipsi uiuunt qui ita iudicant? Hic puella, non quòd de religione ambigeret, sed de pudore trepidaret, ipsa secum: Quid agimus? hodie aut martyr, aut uirgo. altera nobis inuidetur corona. sed nec uirginis nomen agnoscitur, ubi uirginitatis auctor negatur. nam quemadmodum uirgo, si meretricem colas? quemadmodum uirgo, si adulteros diligas? quemadmodum uirgo, si amorem petas? tolerabilius est enim mentem uirginem, quàm carnem habere. utrumque bonum, si liceat: si non liceat, saltem nõ homini castæ, sed Deo simus. Et Raab meretrix fuit, sed postquam Deo credidit, salutem inuenit. Et Iudith se, ut adultero placeret, ornauit: quæ tamen quia hoc religione, non amore faciebat, nemo eam adulteram iudicabat. bene successit exemplum. nã si illa, quæ se commisit religioni, & pudorem seruauit, & patriam: fortassis & nos seruando religionem, seruabimus etiam castitatem. Quòd si Iudith pudicitiam religioni præferre uoluisset, perdita patria, etiam pudicitiam perdidisset. itaque talibus informata exemplis, simul animo tenens uerba Domini, quibus ait: Quicumque perdiderit animam suam propter me, inueniet eam: fleuit & tacuit,

ne

Iof. 2. & 6.
Iudic. 9.

Matth. 10.

ne eam uel loquentem adulter audiret : nec pudoris ele-
git iniuriam , sed Christi recusauit . Existimate utrum
adulterare potuerit corpus , quæ nec uocem adultera-
uit ? Iam dudum uerecundatur oratio mea , & quasi au-
dire gestorum seriem criminofam , atque explanare for-
midat . claudite aurẽ uirgines Dei , ducitur puella Dei
ad lupanar : sed aperite aurem uirgines Dei , uirgo pro-
stitutui potest , adulterari non potest . Vbicunque Dei
uirgo est , Dei templum est . nec lupanaria infamant ca-
stitatem , sed castitas etiam loci abolet infamiam . In-
gens petulantium concursus ad fornicem . discite mar-
tyrum miracula sanctæ uirgines , dediscite locorum uo-
cabula . Clauditur intus columba , strepunt accipitres
foris , certant singuli qui primus prædam inuadat . at il-
la manibus ad cælum leuatis , quasi ad domum uenisset
orationis , non ad libidinis diuerforium , Christe , in-
quit , qui domuisti Danieli uirgini feros leones , po-
tes domare etiam hominum feras mentes . Chaldæis
rorauit ignis , Iudæis se unda suspēdit misericordia tua ,
non natura sua . Susanna ad suppliciũ genu fixit , & de
adulteris triumphauit . aruit dextera quæ templi tui do-
na uiolabat , nunc templum ipsum attrectatur tuum : ne
patiaris incestum sacrilegii , qui non passus es furtum .
benedicatur & nunc nomen tuum : ut quæ ad adulteriũ
ueni , uirgo discedam . Vix compleuerat precem : & ec-
ce uir militis specie terribilis irrupit . quemadmodum
eum uirgo ut uidit , tremuit , cui populus tremens ces-
sit ? sed non illa immemor lectionis : Et Daniel , inquit ,
supplicium Susannæ spectaturus aduenerat : & quam
populus damnauit , unus absoluit . potest & in hoc lupi
habitu ouis latere . habet & Christus milites suos , qui

Dan. 14.

Dan. 13.

E etiam

D I V I A M B R O S I I

etiam legiones habet. aut fortasse percussor intrauit: ne uereare anima, talis solet martyres facere. O uirgo, fides tua te saluam fecit. Cui miles: Ne quæso paueas foror. frater huc ueni, saluare animam, non perdere. serua me, ut ipsa serueris. quasi adulter ingressus, si uis martyr egrediar. uestimenta mutemus, conueniunt mihi tua, & mea tibi, sed utraque Christo. tua uestis me uerum militem faciet, mea te uirginem. bene tu uestieris, ego melius exuar, ut me persecutor agnoscat. sume habitum, qui abscondat feminam, trade qui confecerit martyrē. induere chlamydem, quæ occultet membra uirginis, seruet pudorem. sume pileum, qui tegat crines, abscondat ora. solent erubescere qui lupanar intrauerint. sane cum egressa fueris, ne respicias retro, memor uxoris Loth, quæ naturam suam, quia impudicos licet castis oculis respexit, amisit. nec uereare ne quid pereat sacrificio. ego pro te hostiam Deo reddo, tu pro me militem Christo, habens bonam militiam castitatis, quæ stipendiis militat sempiternis; lorica iustitiæ, quæ spiritali munimine corpus includat; scutum fidei, quo uulnus repellas: galeam salutis. ibi enim est præsidium nostræ salutis, ubi Christus est: Quoniam mulieris caput uir, uirginis Christus. Et inter hæc uerba chlamydem exuit, suspectus tamen adhuc habitus & persecutoris, & adulteri. Virgo ceruicem, chlamydem coepit miles offerre. Quæ pompa illa, quæ gratia, cum in lupanari de martyrio certarent? Addantur personæ, miles, & uirgo, hoc est, dissimiles inter se natura, sed Dei miseratione confimiles, ut compleatur oraculum: Tunc lupi, & agni simul pascentur. Ecce agna & lupo non solum pascentur simul, sed etiam immolantur.

Gen. 19.

Eph. 5.

Esa. 65.

lantur. Quid plura? mutato habitu euolat puella de laqueo, iam non suis alis, utpote quæ spiritalibus ferebatur: & quod nulla unquam uiderunt sæcula, egreditur de lupanari uirgo, sed Christi. At illi, qui uidebant oculis, & non uidebant, ceu raptores ad agnam lupi fremere ad prædam. unus, qui erat immodice districtior, introiuit. sed ubi hausit oculis rei textû, Quid hoc, inquit, est? puella ingressa est, uir uidetur. Ecce non fabulosum illud, cerua pro uirgine, sed, quod uerum est, miles ex uirgine. At etiam audieram, & nō crederam, quòd aquas Christus in uina conuertit: iam mutare cœpit & sexus. recedamus hinc dum adhuc qui fuimus sumus. nunquid & ipse mutatus sum, qui aliud cerno quàm credo? Ad lupanar ueni, cerno uadimonium: & tamen mutatus egrediar: pudicus exibo, qui adulter intraui. Indicio rei, quia debebatur tanto corona uictori, damnatus est pro uirgine, qui pro uirgine comprehensus est. Ita de lupanari non solum uirgo, sed etiam martyres exierunt. Fertur puella ad locum supplicii cucurrisse; certasse ambo de nece, cum ille diceret: Ego sum iussus occidi; te absoluit sententia, quando me tenuit. At illa clamare cœpit: Non ego te uadem mortis elegi, sed prædam pudoris optaui. si pudor quaeritur, manet nexus: si sanguis exposcitur, fideiussorem non desidero; habeo unde dissoluam. in me lata est ista sententia, quæ pro me lata est. certe si pecuniæ fideiussorem dedissem, & absente me iudex tuû censum foeneratori adiudicasset, eadem me sententia conuenires, meo patrimonio soluerem tuos nexus. si recusarem, quis me indignam morte censeret? quanto maior est capitis huius usura? moriar innocens, ne moriar nocens. nihil

Ioan. 3.

hic medium est, hodie aut rea ero tui sanguinis, aut
 martyr mei. si cito redii, quis me audet excludere? si
 moram feci, quis audet absolueret? plus legibus debeo
 rea non solum fugæ meæ, sed etiam cædis alienæ. suffi-
 ciunt membra morti, quæ non sufficebant iniuriæ. est
 in uirgine uulneri locus, qui non erat contumeliæ. Ego
 opprobrium declinaui, non martyrium tibi cessi. ue-
 stem, non professionem mutauit. quod si mihi præripis
 mortem, nõ redemisti me, sed circumuenisti. caue ne
 quæso contendas, caue ne contradicere audiaris. noli
 eripere beneficiũ quod dedisti. dum mihi hanc senten-
 tiam negas, illam restituis superiorem. sententia enim
 sententia superiore mutatur. si posterior me non tenet,
 superior tenet. possumus uterque satisfacere sententiæ,
 si me prius patiaris occidi. in te non habent aliam, quã
 exerceant poenam; in uirgine obnoxius pudor est. ita-
 que gloriosior eris, si uidearis de adultera martyrem fe-
 cisse, quàm de martyre adulteram reddidisse. Quid ex-
 pectatis? Duo contenderunt, & ambo uicerunt: nec di-
 uisa est corona, sed addita. Ita sancti martyres inuicem
 sibi beneficia conferentes, altera principium martyrio
 dedit, alter effectum. At etiam philosophorum gymna-
 sia Damonem, & Pythiam Pythagoreos in cælum fe-
 runt. quorum unus cum esset morti adiudicatus, com-
 mendandorum suorum tempus poposcit. Tyrannus au-
 tem astutissimus, quod reperiri eum non posse existi-
 met, petiuit ut sponsorẽ daret, qui pro se feriretur, si ipse
 faceret moram. Quid de duobus præclaris, nescio.
 utrumque præclarum. alter uadem mortis inuenit, al-
 ter se obtulit. itaque cum reus moram supplicio faceret,
 fideiussor uultu sereno mortem non recusauit. cum du-
 ceretur

céretur , amicus reuerfus est , ceruicem substituit , colla subiecit . Tunc admiratus tyrannus cariorem philo-
 sophis amicitiam , quàm uitã fuisse , petiuit , ut ipse ab iis ,
 quos damnauerat , in amicitiam reciperetur . tanta uir-
 tutis est gratia , ut & tyrannum inclinaret . Digna laude ,
 sed minora nostris . nam illic ambo uiri , hic una uirgo ,
 quæ primo etiã sexum uinceret . illi amici , isti incogni-
 ti . illi tyranno uni se obtulerunt , isti tyrannis pluribus ,
 hoc etiam crudelioribus , quòd ille pepercit , isti occi-
 derunt . inter illos in uno obnoxia necessitas ; in his am-
 borum uoluntas libera . hoc quoque isti prudentiores ,
 quòd illis studii sui finis amicitia gratia , istis corona
 martyrii . illi enim certarunt hominibus , isti Deo . Et
 quoniam rei istius fecimus mentionem , par est conte-
 xere quid de diis suis senserit , quo magis infirmos iu-
 dicetis , quos irridet sui . nanque is cum uenisset in
 templum Iouis , amictum aureum , quo operiebatur si-
 mulacrum eius , detrahi iussit , imponi laneũ , dicens
 aurum hyeme frigidum , æstate onerosum esse . sic Deũ
 irrisit suum , ut nec onus ferre posse , nec frigus putaret .
 Item cum Aesculapii barbã uidisset aureã , tolli im-
 perauit , incongruum esse appellans , ut filius barbã ha-
 beret , cum Apollo pater eius adhuc non haberet . Item
 simulacris tenentibus aureas pateras ademit , allegans
 accipere se debere quod dii darent : quoniam hæc sunt
 inquit , uota hominum , ut a diis quæ bona sunt adipi-
 scamur . nihil autem auro melius : quod tamen si malũ
 est , habere deos non debere : si malum non est , habe-
 re magis homines debere , qui uti scirent . Ita ludibrio
 habiti sunt , ut neque Iupiter uestem suam defendere po-
 tuerit , nec barbã Aesculapius , nec Apollo pubescere
 adhuc

D I V I A M B R O S I I

adhuc coeperit, neque omnes, qui dicuntur dii, retrahere potuerint pateras, quas tenebant, non tam furti reatum timentes, quam sensum non habentes. Quis igitur eos colat, qui nec defendere se quasi dii, nec abscondere quasi homines possunt? At in templo Dei, nonne cum Hieroboam rex sceleratissimus dona, quæ pater eius posuerat, auferret, ac super sanctum altare libaret idolis, dextera eius, quam tetendit, aruit, nec sua ei, quæ inuocabat, idola profuerunt? Deinde conuersus ad Dominum rogauit ueniam, statimque manus eius, quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione. Tam maturum in uno diuinæ misericordiæ, & indignationis exemplum extitit, ut sacrificanti subito dextera adimeretur, pænitenti uenia daretur. Hæc ego uobis sanctæ uirgines nõ dum triennalis sacerdos munuscula parauit, licet usu indoctus, sed uestris edoctus moribus. quantus etenim adulescere usus potuit in tam parua iniatiæ religionis ætate? Si quos hic flores cernitis, de uestræ uitæ collectos legite sinu. nõ sunt hæc præcepta uirginibus, sed de uirginibus exēpla. uestræ uirginitatis effigiem nostra depinxit oratio: uestræ grauitatis imaginẽ quasi in speculo quodã sermonis istius cernitis refulgere. uos, si qua est, nostro gratiã inhalastis ingenio: uestrũ est quidquid iste redolet liber. et quoniam quot homines, tot sententiæ: si quid defæcatum est in sermone nostro, omnes legant: si quid decoctum, maturiores probent: si quid modestum, pectoribus inhæreat, genas pingat: si quid florulentum, ætas florulenta non improbet. Debuimus sponsæ citare amorem. scriptũ est enim: Diliges Dominum deum tuum. Debuimus in nuptiis calamistris quibusdam crines saltem orationis ornare.

scriptum

3. Reg. 12. &
13.

Deute. 6.

scriptum est enim : Plaudite manu, & percutite pede . De-
 buimus perpetuos spargere thalamos rosis : Etiam & in
 his coniugijs temporalibus nubenti prius plauditur,
 quàm imperatur : nec ante dura offendant imperia,
 quàm blanditijs amor fatus inolefcatur . equorū uis plau-
 sæ sonitum discit amare ceruicis, ne recuset iugum . De-
 nique prius assuescitur uerbo lasciuia, quàm uerbere di-
 sciplina . ast ubi colla subdiderit iugo, & habena con-
 stringit, & stimulus urget, & comparēs trahunt, & iu-
 galis inuitat : sic etiam uirgo nostra debuit prius amore
 pio ludere, aurea tori regni cælestis fulcra mirari, in
 ipso uestibulo nuptiarum & postes frondium fertis cer-
 nere coronatos, & chori strepentis interius haurire de-
 licias, ne se prius dominico iugo timefacta subduceret,
 quàm uocata inclinaret . Veni igitur huc a Libano spon-
 sa, ueni huc a Libano, transibis, & pertransibis . sæpius
 enim nobis iste uersiculus recantandus est, ut uel do-
 minicis uocata uerbis, sequatur, si qua non credit hu-
 manis . Hoc nos magisterium non inuenimus, sed acce-
 pimus : sic instituit mystici carminis doctrina cælestis .
 Osculetur me ab osculis oris sui, quia bona ubera tua su-
 per uinum ; & odor unguentorum tuorum super omnia
 aromata . Unguentum exinanitum est nomen tuum . to-
 tus iste deliciarum locus ludum sonat, plausum excitat,
 amorem prouocat . Ideo, inquit, adolescentulæ dilexe-
 runt te, & attraxerunt te retro . In odorem unguento-
 rum tuorum curramus . Induxit me rex in tabernaculum
 suum . Ab osculis coepit, ut ad tabernaculum perueni-
 ret . atque illa tam patiens duri laboris, exercitataeque
 uirtutis, ut aperiat manu claustra, in agrum exeat, in
 castellis maneat, in principio tamen retro odorem cur-
 rit

Ezech. 21.

Cant. 1.

D I V I A M B R O S I I

rit unguenti: mox cum in tabernaculum uenerit, unguentum mutatur a castellis. Denique quò euadat uideate: Si murus, inquit, est, ædificemus super eum turres argenteas. quæ ludebat osculis, iam turres erigit, ut pretiosis sanctorum turrata fastigiis, non solum hostiles frustretur incurfus, uerum etiam bonorum propugnacula struat tuta meritorum.

D I V I A M B R O S I I, E P I S C O P I

Mediolanensis, de uirginibus liber III.

Q U O N I A M, quæ habuimus, digessimus superioribus libris duobus, tempus est soror sancta, ea, quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberii præcepta reuoluere, ut quo uir sanctior, eo sermo accedat gratior. Nanque is, cum in Saluatoris natali ad Apostolum Petrû uirginitatis professionem uestis quoque mutatione signares, (quo enim melius die, quàm quo uirgo posteritatem acquisiuit?) atque astantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent inuicem de tua societate: Bonas, inquit, filia nuptias desiderasti. Vides quâtu ad natalem sponfi tui populus conuenerit, & nemo impastus recedet? Hic est qui rogatus ad nuptias, aquam in uina conuertit: in te quoque sincerum sacramentum conferet uirginitatis, quæ prius eras uilibus obnoxia naturæ materialis elementis. Hic est qui quinque panibus, & duobus piscibus quattuor millia populi in deserto paut. plures potuit, si plures iam tunc, qui pascerentur, fuissent. Denique ad tuas nuptias plures uocauit. sed iam non panis ex ordeo, sed corpus ministratur e celo. hodie quidem

Ioan. 2.

Matth. 15.

dem secundum hominem homo natus ex uirgine, sed ante omnia generatus ex patre, qui matrem corpore, uirtute referat patrem. unigenitus in terris, unigenitus in cælo. Deus ex Deo, partus ex uirgine. iustitia de patre, uirtus de potente, lumen ex lumine. non impar generanti, non potestate discretus, non uerbi extensione, aut prolatione confusus, aut cum patre mistus. sed ut a patre generationis iure distinctus sit, ipse est fraternus tuus, sine quo nec cælestia, nec marina, nec terrena consistunt. Verbum patris bonum, quod erat in principio: habes eius æternitatem. Et erat, inquit, apud patrem: habes indiscretã a patre, inseparabilemque uirtutem. Et Deus erat uerbum: habes ingenitam eius diuinitatem. de compendio enim tibi fides est haurienda. hunc filia dilige, quia bonus est. nemo enim bonus, nisi solus Deus. si enim non dubitatur quia Deus filius, Deus autem bonus; utique non dubitatur, quia Deus bonus filius. hunc inquam dilige, ipse est quem pater ante luciferum genuit ut æternum, ex utero generauit ut filium, ex corde eructauit ut uerbum. ipse est in quo complacuit pater. ipse est patris brachium, quia creator est omnium. patris sapientia, quia ex Dei ore processit. patris uirtus, quia diuinitatis in eo corporaliter habitat plenitudo. quem pater ita diligit, ut in sinu portet, ad dexteram locet, ut sapientiam dicat, uirtutem nouerit. Si igitur uirtus Dei Christus, nõquid aliquando sine uirtute Deus? nunquid aliquando sine filio pater? si semper utique pater, utique semper & filius. perfecti ergo patris perfectus est filius. nã qui uirtuti derogat, ei derogat, cuius est uirtus. inæqualitatẽ non recipit perfecta diuinitas. Dilige igitur quem pater

Ioan. 1.

Luc. 18.

Psal. 109.

Psal. 44.

Matth. 17.

Colof. 2.

1. Cor. 1.

Ioan. 5.

F diligit

D I V I A M B R O S I I

1. Timot. 5.

diligit; honorifica quem honorificat pater. qui enim non honorificat filium, non honorificat patrem: et qui negat filium, nec patrem habet. Hæc quantum ad fidem, sed interdum etiam cum fides tuta est, iuuentus suspecta est. Modico itaque uino utere, ne infirmitatem corporis augeas, non ut uoluptatem excites. incendunt enim pariter duo, uinum, & adolescentia. infrænent etiam teneram ætatem ieiunia, & parsimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates. ratio reuocet, mitiget spes, restringat metus. Nam qui moderari nescit cupiditatibus, sicut equis raptatur indomitis, uoluitur, obteritur, laniatur, affigitur. quod aliquando iuueni ob amorem Dianæ contigisse proditur. sed poeticis mendaciis coloratur fabula, ut Neptunus prælati riualis dolore incitatus, equis dicatur furorem immisisse, quo eius magna potentia prædicetur, quod iuuenem non in uirtute uicit, sed fraude decepit. unde eius sacrificium quotannis instaurant Dianæ, ut equus ad eius immoletur aras, quam uirginem dicunt, quæ (id quod etiam meretrices erubescere solent) amare potuit non amantem. Sed habeant per me licet fabulæ suam auctoritatem; quasi nõ, licet scelestum utrumque, minus tamen sit, iuuenem amore adulteræ sic flagrasse, ut periret, quàm duos, ut ipsi dicunt, Deos de adulterio certasse: Iouem autem dolore scortantis filiæ in medicum uindicasse adulteri, quod eius curasset uulnera, qui Dianam in siluis adulterasset, uenatricem sane optimam non ferarum, sed libidinum, sed ferarum etiam ut nuda uenetur. Dent igitur Neptuno dominatum furoris, ut adstruant crimen incesti amoris. dent Dianæ regnum in siluis, quas incolebat, ut confirmet adulte-

adulterium, quod gerebat. dent Aesculapio quòd mortuum reformauerit, dummodo profiteantur quòd fulminatus ipse non euaserit. dent etiam Ioui fulmina, quæ non habuit, ut testificentur quæ habuit opprobria. Sed a fabulis ad proposita reuertamur. Escis quoque omnibus, quæ gignant membris calorẽ, parce utendum puto. carnes etiam aquilas uolantes deponunt. in nobis quoque ales interior illa, de qua legimus, Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua: sublime tenens uirgineo præpes uolatu, superfluæ carnis nesciat appetentiã. conuiuiorum deuitandæ celebritates, fugiendæ salutationes. ipsas uisitationes in iunioribus esse pauciores uolo, si forte deferendum sit, parentibus, aut æqualibus. Teritur officiis pudor, audacia emicat, risus subrepat, modestia soluitur: dum affectatur urbanitas, interroganti non respondere, infantia: respondere, fabula est. deesse igitur sermonem uirgini, quàm superesse malo. Nã si mulieres etiam de rebus diuuis in ecclesia iubentur tacere, domi uiros suos interrogare, de uirginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem? An uero mediocre pudoris exemplum est, quòd Rebecca cum ueniret ad nuptias, & sponsum uidisset, uelamen accepit, ne prius uideretur, quàm iungeretur? Et utique pulchra uirgo nõ decori timuit, sed pudori. Quid Rachel? quemadmodum extorto osculo fleuit, & gemuit? nec flere desisset, nisi proximum cognouisset. ita & pudoris seruauit officium, & pietatis non amisit affectum. Quòd si uiro dicitur, uirginem non consideres, ne quando scandalizet te: quid dicendum sacræ uirgini, quæ si amet, animo peccat; si amatur, & facta? maxima est uirtus ta-

Psal. 102.

1. Cor. 14.

Gen. 24.

Gen. 29.

Eccle. 9.

cendi, præsertim in ecclesia. nulla te diuinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoueas, uocem premas. nullum ex ore uerbum, quod reuocare uelis, proferas, sed parcior loquendi fiducia sit. copiosum quippe in multiloquio peccatum. Homicidæ dictum est: Peccasti, quiesce: ne peccaret amplius. sed uirgini dicendum est, quiesce, ne pecces. Conseruabat enim Maria, ut legimus, omnia in corde suo, quæ de filio dicebantur: & tu, cum legitur aliquid, quo Christus aut uenturus annuntiatur, aut uenisse ostenditur, noli fabulando obstrepere, sed mentem admoue. An quidquã est indignius, quàm oracula diuina circumstrepere ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur; circumsonare sacramenta confusis uocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferunt? unde illud exemplum proditur: Alexandro sacrificante Macedonum rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito poenam indicasse fletu. tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentiæ, ut naturam uinceret. atque ille non Deos, qui nulli erant, sed regem timebat. quid enim timeret eos, qui, si idem ignis eos contigisset, arfissent? Quid, quòd quidam in conuiuio patris adolescens iubetur, ne meretricios amores indiciis insolentibus prodatur? et tu in ministerio Dei uirgo gemitus, excreatus, tusses, risus abstine. quod ille in conuiuio potest, tu in ministerio Dei non potes? Vocis uirginitas prima signetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, instituat consuetudo naturam. uirginem mihi prius grauitas sua nuntiet,

Pro. 10.
Gen. 4.

Luc. 2.

nuntiet, pudore obuio, gradu sobrio, uultu modesto, & prænuntia integritatis anteeant signa uirtutis. Non satis probabilis uirgo est, quæ requiritur cum uidetur. Frequens sermo est, cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse ut conticescerent, ac reuerentiã sacræ deferrent orationi: tunc subito circumfusos strepitus quieuisse. Silent igitur paludes, homines non filebunt? et irratio nabile animal per reuerentiam recognoscit, quod per naturam ignorat: hominum tantam esse immodestiã, ut plerique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium uoluptati? Hæc tecum sanctæ memoriæ Liberius, quæ apud alios maiora uerbis, apud te minima exemplis, ita omnem disciplinam non solum uirtute adæquasti, sed etiam æmulatione uicisti. nanque ieiunium in præceptis habemus, sed singulorum dierum: tu autem multiplicatis noctibus, ac diebus, innumera tempora sine cibo transigis: & si quando rogaris ut cibum sumas, paulisper deponas codicem, respondeas illico: Non in pane solo uiuit homo, sed in omni uerbo Dei. ipse epularum usus cibus obuio, ut edendi fastidio ieiunium desideretur, potus e fonte, fletus in prece, somnus in codice. hæc iunioribus conuenere annis, donec mens æui matura canesceret. ast ubi domiti trophæum corporis uirgo sustulerit, moderandum labori, ut magistra suppari seruetur ætati. Cito fœcundis onerata palmitibus emeritæ ætatis uitis crepat, nisi aliquando reprimatur. eadem tamen donec adolescit exuberat, & inueterata amputatur, ne siluescat sarmentis, aut fœtu nimio exinanita moriatur. bonus agricola optimam uitem & fotu terræ cohibet, & defendit a frigore, & ne

Matth. 4.

meridia-

DIUI AMBROSII

meridiano sole uratur, explorat. agrum quoque uicibus exercet, uel, si non patitur otiosum, diuersa alternat femina, mutatis ut foetibus arua requiescant. Tu quoque uirgo ueterana pectoris tui colles diuersis saltē feminibus fere, nunc alimoniis mediocribus, nunc ieiuniis parcioribus, lectione, opere, prece: ut mutatio laboris, induciæ sint quietis. non totus messem generat ager. hinc de collibus uineta confurgunt: illinc purpurascētes cernas oliuas, hic olentes rosas. Sæpe etiam relictis aratris ipse ualidus agricola digito solum scalpit, ut florum deponat radices, & asperis manibus, quibus luctantes inter uineta flectit iuuenos, molliter ouium pressat ubera. Eo quippe melior ager, quo numerosior fructus. ergo & tu boni agricolæ exemplum secuta, non perennibus ieiuniis tanquam depressis uomeribus humum tuam findas. floreat in hortis tuis rosa pudoris, liliū mentis, & irriguum sacri sanguinis uiolaria bibant fontem. Vulgo hoc ferunt: Quod uelis prolixè facere, aliquando ne feceris. debet esse aliquid, quod quadragēsima diebus addatur, sed ita, ut nihil ostentationis causa fiat, sed religionis. Oratio quoque nos Deo crebra commendet. si enim propheta dicit: Septies in die laudem dixi tibi: qui regni erat necessitatibus occupatus: quid nos facere oportet, qui legimus; Vigilate & orate, ne intretis in tentationem? Certe solennes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cum e somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, & hora incensi, cum denique cubitum pergimus. Sed etiam in ipso cubili uolo psalmos cū oratione Dominica frequenti con texas uice, uel cum euigilaueris, uel antequam corpus sopor

irriget,

Pfal. 118.

Matth. 26.

irriget, ut te in ipso quietis exordio rerum sæcularium cura liberam, diuina meditantē somnus inueniat. Denique etiam ille, philosophiæ ipsius qui inuenit nomē, quotidie, priusquam cubitum iret, tibicinem iubebat molliora canere, ut anxia curis sæcularibus corda mulceret. sed ille, sicut is, qui laterem lauat, sæcularia sæcularibus frustra cupiebat abolere. magis enim se oblinebat luto, qui remedium a uoluptate quærebat. nos autem terrenorum uitiorum colluione deterfa, ab omni inquinamento carnis mentium interna mundemus. Symbolum quoque specialiter debemus, tanquam nostri signaculum cordis, antelucanis horis quotidie recensere. quod etiam, cum horremus aliquid, animo recurrendum est. quando enim sine militiæ sacramento miles in tentorio, bellator in proelio? Iam illud quis nō ad nostram institutionem dictum intelligat, quod ait sanctus propheta: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo? Nam siue lectum iuxta litteram intelligas, tantam ubertatē ostendit profundi oportere lacrymarum, ut lauetur lectus, stratum rigetur fletibus obsecrantis. fletus enim præsentium, merces est futurorum. Quoniam beati qui fletis, ipsi enim ridebitis. siue pro corpore accipiamus propheticum dictū, Delicta corporis pænitiæ lacrymis abluamus. Fecit enim sibi lectum Salomon ex lignis Libani, columnæ eius argentiæ erant, acclinatorium eius aureum, dorsum eius gemmatum stratum. Quis est iste lectus, nisi nostri corporis species? nanque in gemmis aer specie fulgoris ostenditur, in auro ignis, aqua in argento, terra per lignum: ex quibus corpus humanum quattuor cōstat elemētis, in quo nostra recubat anima, si non

Psal. 6.

Luc. 6.

Cant. 3.

D I V I A M B R O S I I

Pfal. 40.

Rom. 7.

Ioan. 11.

Ioan. 19.

Rom. 12.

Colof. 3.

si non aspero montium, non humi arido expers quietis existat, sed sublimis a uitii ligno fulta requiescat. unde & Dauid dicit: Dominus opē ferat illi super lectum doloris eius. nam lectus doloris esse qui potest, cum dolere non possit qui non habet sensum? Corpus autem doloris, sicut corpus est mortis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et quoniam uersiculum induximus, in quo dominici corporis fecimus mentionem: ne quem forte perturbet legentem, quòd Dominus corpus suscepit doloris, recordetur quia Lazari mortem doluit, & fleuit, & in passione est uulneratus, atque ex uulnere sanguis, & aqua exiuit, spiritūque exhalauit. aqua ad lauacrum, sanguis ad potum, spiritus ad resurrectionem. unus enim est Christus nobis spes, fides, caritas: spes in resurrectione, fides in lauacro, caritas in sacramento. Tamen ut corpus suscepit doloris, ita etiam stratum in infirmitate uersauit, quia conuertit in commodum carnis humanæ. nā passione infirmitas est soluta, mors resurrectione: & tamē mārere pro sæculo, gaudere debetis in Domino, tristes ad pænitentiam, alacres ad gratiam: licet & flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus, oportere, gentium doctor salutari præceptione præscripserit. Verum qui penitus enodare cicatricem omnem desiderat quaestionis, ad eundem cōfugiat Apostolum. Omne enim, inquit, quodcunq; facitis in uerbo, aut in facto, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo patri per ipsum. Omnia ergo dicta nostra, factaque referamus ad Christum, qui uitam fecit ex morte, lucem creauit ex tenebris. Nanque ut corpus ægrotum nunc calidioribus fouetur, nūc frigidioribus tēperatur, reme-

remediorumque mutatio, si iuxta præceptum fiat medici, salutaris est: si contra mandatum usurpetur, languoris augmentū est: ita medico nostro quidquid penditur Christo, remedium est: quidquid usurpatur, incommodum. Debet igitur bene consciæ mentis esse lætitia, non inconditis comestationibus, non nuptialibus excitata symphoniis. ibi enim intuta uerecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema saltatio. ab hac uirgines Dei procul esse desidero. nemo enim, ut dixit quidam sæcularium doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. Quòd si iuxta sapientiam sæcularem, saltationis aut temulentia auctor est, aut demencia: quid diuinarū scripturarum cautū putamus exemplis, cum Ioannes prænuntius Christi, saltatricis optio ne iugulatus exemplo sit, plus nocuisse saltationis illecebram, quàm sacrilegi furoris amentiam? Et quoniam talis uiri non strictim prætereunda est recordatio, interest, ut quis, & a quibus, & quam ob causam, quomodo, & quo tēpore sit occisus, aduertere debeamus. Ab adulteris iustus occiditur, & a reis in iudicem capitalis sceleris pœna conuertitur. deinde præmium saltatricis, mors est prophetæ. postremo, quod etiã omnes barbari horrere consuerunt, inter epulas, atque conuiuia consummandæ crudelitatis profertur edictum. et a conuiuio ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagitii circumfertur obsequium. Quanta in uno facinore sunt crimina? Extruitur regifico luxu ferale conuiuium, & explorato quando maior solito turba conuenit, reginæ filia, intimis mādata secretis, in conspectum uirorum saltatura producit. Quid enim potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris? an quid-

Marc. 6.

G quam

quam est tam pronum ad libidines , quàm inconditis motibus ea , quæ uel natura abscondit , uel disciplina uelauit , membrorum operata nudare , ludere oculis , rotare ceruicem , comam spargere ? merito inde in iniuriã diuinitatis proceditur . quid enim ibi uerecundiæ potest esse , ubi saltatur , strepitur , concrepatur ? Tunc rex , inquit , delectatus dixit puellæ , ut peteret de rege quod uellet . deinde iurauit , quòd uel dimidium regni , si petisset , concederet . Vide quemadmodum sæculares ipsi de sæcularibus suis iudicent potestatibus , ut pro saltatione etiam regna donentur . Puella autem admonita a matre sua , poposcit afferri sibi in disco caput Ioannis . Quod dicit , Rex contristatus est : non pænitentia regis , sed confessio iniquitatis est : quam diuinæ habet consuetudo sententiæ , ut , qui gesserunt impia , ipsi propria confessione se damnent . sed propter discumbentes , inquit . Quid indignius , quàm ut homicidium fieri iuberet , ne discumbentibus displiceret ? Et propter ius , inquit , iurandum . O religionem nouam . tolerabilius peierasset . Vnde non immerito Dominus in Euangelio iubet non esse iurandum , ne sit causa periurii , ne sit necessitas delinquendi . itaque ne iurandum uiolaretur , percutitur innocens . Quid prius horrescam , nescio . tolerabiliora periuria , quàm sacramenta sunt tyrannorũ . Quis non , cum e conuiuio ad carcerem cursari uideret , putaret prophetam iussum esse dimitti ? Quis , inquam , cū audisset natalem esse Herodis , solenne conuiuũ , puellæ optionem eligendi , quod uellet , datam , missum ad Ioannem ob solutionem non arbitraretur ? Quid crudelitati cum deliciis ? quid cum funeribus uoluptati ? Rapitur ad pœnam propheta conuiuiali tempore , conuiuiali

Matth. 5.

uiali præcepto, quo non cuperet uel absolui: perimitur gladio, caput eius affertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas uesceretur. Intuere rex acerbissime tuo spectacula digna conuiuio. porrige dexteram, ne quid sæuitiæ tuæ desit, ut inter digitos tuos riui defluant sacri cruoris. et quoniam non exaturari epulis fames, non restingui potuit poculis inauditæ sæuitiæ fitis, bibe sanguinem scaturientibus adhuc uenis execti capitis profluentem. cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, auersantes conspectum deliciarum. clauduntur lumina, non tam mortis necessitate, quàm horrore luxuriæ. os aureū illud exanguis, cuius sententiam ferre non poteras, conticescit, & adhuc timetur. lingua tamē, quæ solet etiam post mortem officiū seruare uiuentis, palpitante licet motu, damnabat incestum. Portatur hoc caput ad Herodiadem: lætatur, exultat, quasi crimen euaserit, quia iudicem trucidauit. Quid dicitis uos sanctæ feminae? uidetis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Sallet, sed adulteræ filia. quæ uero pudica, quæ casta est, filias suas religionem doceat, non saltationem. Vos autem graues, & prudentes uiri, discite detestabiliū hominum epulas euitare. talia sunt conuiuia, qualia iudicia perfidorum. Iam ad finem orationis uela pandenti bene suggeris soror sancta, quid super eorum meritis existimandum sit, qui se præcipitauerunt ex alto, uel in fluuium demerserunt, ne persecutorum inciderent manus, cum scriptura diuina uim sibi Christianum prohibeat inferre. Et quidem de uirginibus in necessitate custodiæ constitutis enodem habemus assertionem, cum martyrii extet exemplum. Sancta Pelagia apud Antio-

DIVI AMBROSII

chiam quondam fuit, annorum fere quindecim, soror uirginum, & ipsa uirgo. Hæc primo domi classico persecutionis inclusa, cum se a prædonibus fidei, uel pudoris circumfideri uideret, absente matre, & sororibus, uacua præsidio, sed Deo plenior: Quid agimus, inquit, nisi prospicias, captiua uirginitas? et uotum est, & metus est mori, quia mors non excipitur, sed asciscitur. moriamur scilicet, uel si nolunt licere, moriamur. Deus remedio non offenditur, & facinus fides ableuat. Certe si uim ipsam nominis cogitemus, quæ uis uoluntaria; illa magis est uis, mori uelle, nec posse. nec difficultatē ueremur. quis enim est, qui uult mori, & non possit, cum sint ad mortem tam procliuēs uia? Iam enim sacrilegas aras præcipitata subuertam, & accensos focos cruore restinguam. non timeo ne dextera deficiens nõ peragat ictum, nec pectus se dolore subducatur. nullum peccatum carni relinquam. non uerebatur ne desit gladius. possumus mori nostris armis, possumus mori sine carnificis beneficio. Matris in gremio fertur ornasse caput, nuptialem induisse uestem, ut non ad mortem ire diceretur, sed ad sponsum. ast ubi detestandi persecutores ereptam sibi uiderunt prædam pudoris, matrem, & sorores cœperunt quærere. uerum illæ spiritali uolatu iam campum castitatis tenebant, cum subito hinc persecutoribus imminentibus, inde torrente fluuio exclusæ a fuga, inclusa ad coronam, Quid ueremur? inquit. ecce aqua. quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est, quo peccata donantur, regna quæruntur. et hoc baptisma est, post quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua, quæ regenerare consueuit. excipiat nos aqua, quæ uirgines facit. excipiat nos aqua, quæ cælum aperit, infir-

infirmos tegit, mortem abscondit, martyres reddit. Te
 rerum conditor precamur Deus, ne exanimata spiritu
 corpora uel unda dispergat, ne mors separet funera,
 quarum uitam non separauit affectus, sed sit una con-
 stantia, una mors, una etiam sepultura. Hæc effata, &
 suspensæ paululum, incincto sinu, quo pudorẽ tege-
 rent, nec gressum impedirent, consertis manibus, tan-
 quam choros ducerent, in medium progrediuntur al-
 ueum; ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius,
 illuc uestigia dirigentes. nulla pedem retulit, nulla su-
 spendit incessum, nulla tentauit ubi gressum figeret, an-
 xiæ cum terra occurreret, offensæ uado, lætæ profundo.
 Videres piam matrem stringentem nodo manus, gau-
 dere de pignore, timere de casu, ne sibi filias uel fluctus
 auferret. Has tibi, inquit, hostias Christe immolo,
 præfules uirginitatis, duces castitatis, comites passio-
 nis. Sed quis iure miretur tantam uiuentibus fuisse con-
 stantiam, cum etiam defunctæ immobilem stationem
 corporum uindicauerint? Nō cadauera unda nudauit,
 non rapidi cursus fluminis uoluntarunt. quin etiam fan-
 cta mater, licet sensu carens pietatis, tamen adhuc ser-
 uabat amplexū: & religiosum, quem strinxerat, nodū
 nec morte laxabat: ut, quæ religioni debitum soluerat,
 pietate herede mereretur. nam quas ad martyrium iun-
 xerat, usque ad tumulum uindicabat. Sed quid alie-
 nigenis apud te soror uxor exemplis, quam hereditariæ
 castitatis inspirata successio, parentis infusione marty-
 ris erudiuit? unde enim didicisti, quæ nō habuisti un-
 de disceres, constituta in agro, nulla socia uirgine, nul-
 lo informata doctore? non ergo discipulam, (quod fie-
 ri sine magistro non potest) sed heredē uirtutis egisti.
 qui

D I V I A M B R O S I I

qui enim fieri posset, ut sancta Soteris tibi nõ esset mentis auctor, cui auctor est generis, quæ persecutionis ætate seruilibus quoque cõtumeliis ad fastigium passionis euecta, etiam uultum ipsum, qui inter cruciatus totius corporis liber esse consuevit iniuriæ, & spectare potius tormenta, quàm perpeti, carnifici dedit: tam fortis, & patiens, ut cum teneras pœnæ offerret genas, prius carnis fex cædendo deficeret, quàm martyr iniuriæ cederet. non uultum inflexit, non ora conuertit, non gemitum, non lacrymam dedit. denique cum cætera pœnarũ genera uicisset, gladium, quem quærebat, inuenit. Nobile apud ueteres Salomonis illud fertur fuisse iudiciũ, cum a duabus litigantibus mulieribus interpellatus esse: quarum altera conuersa per somnum cum infantem oppressisset suum, postulabat alienum: altera ueri amoris conscia, & culpæ nescia, filium iure proprium uindicebat. utraque igitur perseueranter nitente, cognitoris hæsit intentio. non enim poterat Salomon arbiter esse interioris arcani, cum petentis utriusque mens esset occultior. ibi tum euentu conuentus ambiguo, machæram promi iussit, mādatoque ministris quo simularent triste ministerium, diuidi iussit infantẽ, ut singulæ mulieres singulas partes adipiscerentur. Quo audito illa, quæ petebat alienum, non solum acquieuit, sed etiam diuisionem paruuli depoposcit nullo affectu conuenta materno. illa quæ suum sciebat infantẽ, non uinci metuens, sed orbari; nec iam solatio proprio, sed pignori suo cõsulens, orare occepit, ut incolumis magis puer traderetur alienæ, quàm sectus in partes matri propriæ redderetur. unde Salomon, qui non maiestate diuina, sed argumentis ut homo interiorẽ interrogabat affectum,

3. Reg. 3.

Etum, illi potius iudicauit paruulum esse reddendum, quam ueram matrem dolor proprius prodidisset. illam uero, quam morituri paruuli misericordia nõ mouebat, exortem pronuntiauit esse naturæ, quam exortem uidit esse pietatis. Veritas ergo non latuit, sed tamen per simulationem alterius fluctuauit. diuque etiam bona mater euentu hæsit ambiguo, dum iudicii periclitatur incerto. Hæc licet in figura superioribus sint facta temporibus, scripta sunt tamen ad correptionem nostram, ut intelligamus prodi omnia posse, quæ facta sunt, & omnia composita reuelari. Duæ igitur istæ, quoniã propositum est nobis hoc loco non tractare de mulieribus, duæ inquam istæ, fides est, atque tentatio. Tentatio inquam, communis ab initio auctor erroris, quæ postquã posteritatem suam carnalis uitio conuersationis, & somno mentis amisit, posteritatis fructus auferre conatur alienæ. itaque dum tentatio litigat, fides fluctuat, donec machæra Christi latentes distinguat affectus. Quæ est hæc machæra Christi? illa, de qua scriptum est: Gladius ueni mittere in terram. est enim gladius, de quo scriptum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. qui autem sit hic gladius, quæ machæra, cognosce. Verbum, inquit, acutum, & ualidum, & penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans usque ad diuisionem animæ, & spiritus, artuumque, & medullarũ. Bonus gladius uerbum Dei, bonus gladius, utpote scrutator cordis, & renis, qui mendacium a ueritate discernat, atque eos, quorum animam pertransierit, non interficiat, sed referuet. Hæc igitur de regnorũ dicta sint libro, assumpta de causã, de historia recensita, de conscientia usurpata, & fide prompta. nunc decursã ex libro

1. Cor. 10.

Matth. 10.
Luc. 3.

Hebr. 4.

D I V I A M B R O S I I

Iudic. 11.

libro Iudicum inspiciamus seriem lectionis . non enim otiosis parricidium fuit auribus audiendum . itaque repetamus historiam . Iepte iudex Iudæorum fuit . is euentu belli confictatus ambiguo , præliorumque ueritus incerta , uotum uouit huiusmodi , Si aduersarios depulisset , ut , quidquid ei primum intra domus suæ limen occurrisset , hostiam immolaret Deo suorū præfuli triumphorum . itaque bello potitus , fusisque hostibus domū rediit : cui in ipso uestibulo filia memor pietatis , ignara oblationis occurrit . sed recordatus illico pater , & propriae sponsionis admonitus , ingemuit soluendi muneris sponsionem . Heu me , inquit , filia , perdidisti me . ego enim aperui os meum de te ad Dominum . Tum illa : O pater , si in me aperuisti os tuum ad Dominū , fac mihi ita ut exiuit de ore tuo . duorum tamen tantum mensium inducias postulauit , donec in montem ascenderet , & super uirginitatem suam staret . Deinde duobus post exactis mensibus remeauit ad patrem . uotum ille compleuit . his enim uerbis utendum est , quando scriptura diuina effectum rei non prodidit , sed refugit parricidii mentionem . Quid igitur , hoc probamus ? minime gentium . sed tamen etsi parricidium non probo , aduerto præuaricandæ metum , & formidinem sponsionis . Denique ad Abraham dictum est : Nunc scio quia amas Dominum Deum tuum , quia non pepercisti unico filio tuo . Habes igitur indicium , quo docetur præuaricandum temere non esse promissum . uerum Deo parricidium non probari , in eadem asseritur lectione , cum pro filio ouis subiicitur , ut ipsa potius , quàm filius fereretur . Habuit igitur Iepte quod sequeretur exemplum , quia Dominus sanguine non delectaretur humano . in
uno

Gen. 22 .

uno enim oraculo ad Abraham prompto docuit filiorum salutem religionis obsequio posthabendam, offerri a parentibus Deo debere filios, non debere iugulari. Certe cum hæc filia tam sollicita fuerit de patris uoto, cur pater non dubitauerit de filiæ parricidio: & cum illa paternum caueret mendacium, iste filiæ non cauerit interitum? Dicet aliquis: Qua ratione illic Deus non permiserit parricidiū fieri, hic sit passus impleri? Nunquid acceptor personarum Deus? non, sed meritōrum, atque uirtutum. certe dum consilium esset ambiguum, signare debuit oraculum, quid ad præsens factō, & in reliquum conueniret exemplo. ubi uero iam præcessisset exemplum, necessarium non iudicauit oraculum, cum facti forma ueteris quid fieri oporteret ostenderit. aut fortasse quia non una forma meritōrum, ideo non una forma factorum. Pater doluit, fleuit filia, uterque de Dei miseratione dubitauit. Non doluit Abraham, nec consuluit parentis affectum. ubi audiuit diuinitatis oraculum, non distulit sacrificium, sed maturauit obsequium. Non dubitauit Isaac, cum imparibus sequeretur patrem passibus: non fleuit cum ligaretur: non dilationem poposcit, cum offerretur. Et ideo misericordia largior, ubi fides promptior. Et bene non fleuit factum patris, quia risus est matris. pro qua deuotionis exultatione ouis pro illo iussa est immolari, quia se ipse non distulerat immolandum, nec de Dei miseratione ambiguus, nec de sui deuotione sollicitus. Nemo igitur inuentus est, qui tam cruentum patris reuocaret affectum, quia omnis promissio muneris conueniebat officio. Sacrificium itaque sanguinis immolatur, & nemo est qui resistat. sacrificium castitatis offertur, & qui

H. prohibeat

D I V I A M B R O S I I

prohibeat, inuenitur. Pater parricidium promisit, & soluitur. pater integritatem filiae uouit, & tam pia oblationis inuidetur affectus. Illic filia dolens sanguinem suum obtulit pro patria sponsione. hic tam pium promissum nec hereditario munere, nec propria soluitur uoluntate. Quo in negotio etiam nos uocamur in culpam. quam tandem? quia nuptias prohibuimus illicitas? uocent ergo in eandem culpam etiam Baptistam Ioannem. et cum aliud nihil forte habeamus, quod probetur in nobis, hoc solum cōdemnetur in nobis, quod probatum est in propheta. An erubescendum protulimus auctorem? Quā uero causam aliam habuit ille martyr, repetite animo. causa illius passionis certe hæc fuit. Non licet, inquit, tibi eam uxore habere. Si hoc de uxore hominis, quanto magis de uirgine Deo consecrata? si hoc dictum est regi, quanto magis dicendum est priuatis? Gratias itaque diuinitati, quod hic nullus Herodes, atque utinam nulla Herodias. Non licuit ergo pro uirginitate sermonem dicere? & cur scriptū est: Iudicate pupillo, & iustificate uiduam? & cur scriptum est: Patris orfanorum, & iudicis uiduarum? Ergo castimoniam & integritati deditas deseremus, aut etiam condemnabimus? At certe ipsis gentilibus inter aras, & focos uenerabilis solet esse uirginitas: & in quibus nulla meritorum est pietas, nulla mentis integritas, in iis tamen carnis uirginitas prædicatur. A profanis igitur caeremoniis uirgines nemo prohibebit, ab Ecclesia Dei uirginitas arcebitur? Illic coguntur, quod non docentur: hic interdicitur, quod non licet non doceri: illic præmiis reuocantur a nuptiis, hic ad nuptias coartabuntur iniuriis? illic uiolentia fit, ut capiantur: hic fiet uiolentia

Matth .14 .

Pfal. 181 .
Pfal. 67 .

uolentia ne profiteantur? Et potest esse patientia sacerdotum, ut non uel morte oblata, si ita necesse est, integritatis sacrificium uindicetur. Considerate quia uirgines præ Apostolis resurrectionē Domini uidere meruerunt. certe hoc docuit hodierna, quæ decursa est lectio. Nam cum in nouo monumento, sicut Ioannes dixit, corpus positum esset Domini Iesu, in suo autem monumento, sicut est secundum librum euangelii Matthæi, posuisset Ioseph Domini corpus, obseruabant uirgines. Bene & Matthæus monumentum dixit nouum, ne ex monumento ueteri resurrexisse alius crederetur. bene etiam, secundum spiritum iusti, in monumentum positum est, quia Christus a mortuis in nouo iusti resurgit affectu. bene etiam secundum litteram alienum monumentum fuit, quia suum monumentum Dominus non quæsiuit. Habeant tumulum qui sub lege sunt mortis: uictor mortis suum tumulum non habebat. non enim ille sepulcrum mortis desiderabat, qui de morte trophæa referebat. Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, & prima uidit, & credidit. uidit & Maria Magdalena, quamuis adhuc ista nutaret. Hoc loco non medio-
 crem aduertite quæstionem, ne subdubitare de resurrectione Domini uirgines debeatis. uidete quod meritū. Non sola carnis uirginem facit, sed etiam mentis integritas. Denique Maria Magdalena Dominum prohibetur tangere, quia nutabat de resurrectionis fide. Illa igitur tangit Christum, quæ fide tangit. Magdalena autem stabat ad monumentum foris plorans. Quæ foris est, plorat: nam quæ intus est, plorare non nouit. plorat autem quia corpus non uidet Christi: & perisse putat, quia ipsa non cernit. ergo Maria foris, sed non Pe-

Ioan. 19.

Matth. 27.

Ioan. 20.

trus, non Ioannes foris. Denique illi currentes intrauerunt, & ideo non plorauerunt, & gratulantes recesserunt. illa, quæ non introiuit, fleuit, non credidit, fraudè sublatum putauit, nec, cum angelos cerneret, credendum arbitrabatur. et ideo dicunt ei angeli: Mulier quid ploras? quem quæris? hoc angeli dicunt, & Dominus postea iisdem uerbis repetiuit; ut sciatis, quia angelorum uerba mandata sunt Domini. Denique eadem, ut dixi, etiam Dominus uerba repetiuit dicens: Mulier quid ploras? quæ quæris? Quæ non credit, mulier est: nam qui credit, in uirum perfectum resurgit, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Mulier, inquit, nõ de sexu, sed de cunctatione conuitium est. Et bene mulier, quæ nutabat, quia uirgo iam crediderat. Quid ploras? hoc est, tu tibi es causa plorandi, tu tibi es auctor flendi; quæ es Christi incredula. ploras, quia non uides Christum. crede, & uidebis. adest Christus, nec unquam iis, a quibus quæritur, deest. Quid ploras? hoc est, non lacrymis opus est, sed fide prompta, & Deo digna. Noli cogitare mortalia, & non plorabis. noli cogitare peritura, & flendi causam habere non poteris. Cur inde ploras, unde alii gratulantur? Quem quæris? hoc est: Non uides quia adest Christus? nõ uides quia Christus est Dei uirtus, quia Christus est Dei sapientia, quia Christus est sanctitas, quia Christus est castitas, quia Christus est integritas, quia Christus natus est ex uirgine, quia Christus ex patre, & apud patrem, & in patre semper, natus, non factus, nec degener, sed semper uerus Deus ex Deo uero? Tulerunt, inquit, Dominum de monumento, & nescio ubi posuerunt eum. Erras mulier, quæ putas ab aliis Christum de monumento esse subla-

Ioan. 20.

Ephe. 4.

1. Cor. 1.

Ioan. 40.

sublatum, & nō potestate propria resuscitatum. sed nemo tulit Dei uirtutem; nemo tulit Dei sapientiam; nemo tulit uenerabilem castitatem. Non tollitur Christus de monumento iusti, nec de suæ uirginis secreto, & piæ mentis arcano: & si qui uolunt tollere, auferre nō possunt. Tunc ait illi Dominus: Maria, respice ad me. 1. Cor. 1.

Quando non credit, mulier est. quando conuerti incipit, Maria uocatur; hoc est, nomen eius accipit, quæ parurit Christum. est enim anima, quæ spiritualiter parit Christum. Respice, inquit, ad me. qui Christum respicit, emendatur. errat autem quæ Christum non uidet. Et ideo illa cōuersa respexit, & dixit: Rabbi, quod interpretatur magister. Quæ respexit, conuertitur: quæ uidet, proficit. Et ideo magistrum appellat, quem mortuum esse credebat. alloquitur quem putabat amissum. Noli, inquit, me tangere: hoc est, Etsi correptionis tentamenta sunt, non tangit tamen Christum nutantis affectus. Noli, inquit, me tangere. hoc est, noli tangere Dei uirtutem, Dei sapientiam, reuerendam integritatem, honorabilem castitatem. Sed uade ad fratres meos. Quid est aliud dicere, nisi, iam noli foris flere? uade ad electos, & ad obseruantissimos sacerdotes. Et dic illis: Ascendo ad patrem meū, & patrem uestrum, Deum Ioan. 20. meum, & Deum uestrum. Quid est aliud dicere, nisi ne mulier hinc moueas quæstionem? Certe a perfectioribus quære, dicent tibi, quæ distinctio sit inter patrem meum, & patrem uestrum. nam qui iuxta diuinā generationem pater mihi est, is iuxta adoptionem pater uester est. Patrem meū dicendo, a creaturis se Dei filius separauit. patrem uestrum dicendo, adoptionis spiritualis

D I V I A M B R O S I I

spiritualis gratiam designauit . ita & Deum meum dicen-
 do, mysterium suæ incarnationis ostendit, ut, quem pa-
 trem naturaliter habet, Deum appellet propter suscepti
 corporis sacramentum. Deum quoque uestrum cum di-
 cit, profectum in nobis suæ operationis ostendit . et ue-
 re Deus noster factus est nobis, ex quo passus est Chri-
 stus, quando, ut alia omittam, pro integritate seruan-
 da mori uirgines sunt paratæ . Nihil de causa, nihil de
 persona loquor . ubi enim Domini gratia, ibi debet ef-
 se pax Domini . nec quenquam publicis arguo, sed me-
 ipsum defensatum uenio . Accusati enim sumus : & nisi
 fallor, accusatores nostri plerique de uobis sunt . ho-
 rum ego affectus redarguere malo, quàm personas pro-
 dere . criminis autem inuidia hæc est, quia suadeo casti-
 tatem . qui hoc non libenter accipit, ipse se prodit . Vir-
 ginitatem, inquit, doces, & persuades plurimis . uti-
 nam conuincerer, utinam tanti criminis probaretur ef-
 fectus . Non uererer inuidiam, si efficaciam recognosce-
 rem . atque utinã me exemplis potius argueretis, quàm
 sermonibus cæderetis . Sed uereor ne præuarcatores mi-
 hi apposuisse uidear, qui me alienis commendent lau-
 dibus . Initiatas, inquit, sacris mysteriis, & consecra-
 tas integritati puellas nubere prohibes . utinam potuis-
 sem reuocare nupturas . utinam posses flammæcæ nu-
 ptiale pio integritatis mutare uelamine . An indignum
 uidetur, ut sacratæ uirgines a sacrosanctis altaribus non
 abducantur ad nuptias ? & quibus licet sponsum elige-
 re, non licet Deum præferre ? in me ergo facti conditio
 mutatur, ut pro opprobrio mihi cedat quod semper spe-
 ctauit ad gratiam sacerdotum, iacere semina integrita-
 tis, & uirginitatis studia prouocare . quæro enim utrū
 quasi

quasi improbum hoc, an quasi nouum, an quasi inutile reprehendatur? si quasi improbum, improba ergo uota sunt omnium, improba uita est angelorum, quam gratia resurrectionis imitatur. Qui enim non nubunt, neque nubentur, erunt sicut angeli in caelo: qui hoc utique reprehendit, resurrectionis uota condemnat. itaque improbum uideri non potest, quod hominibus pro praemio constitutum est. nec potest eius rei species displicere, cuius ueritas & in fructu est, & in uoto. Sed esto, non sit improbum, nunquid nouum est? nos enim noua omnia, quae Christus non docuit, iure damnamus, quia fidelibus uia Christus est. Si igitur Christus non docuit quod docemus, etiam nos id detestabile iudicamus. Discutiamus ergo, utrum Christus integritatem docuerit, an repudiandam putauerit. Et sunt, inquit, spadones, qui se ipsos castrauerunt propter regnum caelorum. est ergo praecleara militia, quae regno caelorum militat. itaque iam tunc Dominus docuit, esse debere intemerata studia castitatis. Vnde & Apostoli eam ceteris praeminere cernentes, Si ita est, aiunt, causa uiri cum uxore, non expedit nubere. quo dicto & grauiora iudicarunt onera uinculi coniugalis, & uerae integritatis gratiam praetulerunt. Sed Dominus, qui sciret praedicandam omnibus integritatem, imitandam paucis, Non omnes, inquit, capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. hoc est, non est communis plurimis, & uulgari integritas, nec pro infirmitate permittitur, sed pro uirtute conceditur. Denique cum dixisset; Et sunt spadones, qui se ipsos castrauerunt propter regnum caelorum; ut ostenderet hoc non mediocri esse uirtutis, Qui potest, inquit, capere, capiat. et ideo post hoc uerbum offeruntur

Matth. 22.
Luc. 20.

Matth. 19.

D I V I A M B R O S I I

Ibidem :

offeruntur pueri ad benedicendum, qui corruptelæ expertes, integritatis munus immaculata ætate seruarent. Talium enim est regnum cælorum, qui in puerilem castimoniam, tanquam in naturam infantium, corruptelæ ignorantia remeauerint. Est ergo etiam cælesti uoce probata uirginitas, dominicisque expetenda præceptis. Quo loco magisterium diuinæ uocis imitemur. nam cū in superioribus coniugium memorauerit non esse soluendum, nisi ex causa fornicationis, in posterioribus integritatis gratiam, donumque contexit; ut doceret non damnandas esse nuptias, sed probandas, nuptiis tamen ipsis integritatis studia præferenda. quis enim tam auersus a uero, qui nuptias dānet? sed quis tam alienus a ratione, qui coniugii onera non sentiat? Etenim mulier innupta, & uirgo, cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore, & spiritu. nam quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quo modo placeat uiro. Et præter has molestias, quamuis nubendo non peccet, contritionē tamen habebit carnis huiusmodi. grauis enim partus labor est, grauis creandorum, & erudiendorum liberorū molestia. quibus ante præscripsit, ne quis huiusmodi auerteretur iniuriis. multæ enim in partus doloribus constitutæ, coniugio renuntiare se dicunt. multi etiam matrimonii onera non ferentes, alieno ab uxore aueruntur affectu. Et ideo Apostolus ante præmisit: Vincētus es uxori? noli quærere solutionē. et bene ait, Vincētus es. quodā enim uir & uxor nexu inter se amatorio copulantur, & quibusdam inuicem sibi habentis amoris adstricti sunt. Bona igitur uincula nuptiarum, sed tamen uincula: & si uincula, tamen uincula caritatis. Bonum coniugium, sed tamen a iugo tractum, & iugo mundi,

1. Cor. 7.

Ibidem.

mundi, ut uiro potius cupiat placere, quàm Deo. Bona etiam uulnera caritatis, & osculis præferenda. utiliora enim uulnera amici, quàm uoluntaria oscula inimici. Denique Petrus uulneratur, Iudas osculatur. illum oscula condénant, hunc uulnera emendant. illius osculis prodicionis uulnera funduntur, istius lacrymis culpa lauatur. itaque ut ostenderet sermo propheticus bona uulnera caritatis, Ecclesia dicit in Canticis canticorum: Quia uulnerata caritate ego sum. Nemo ergo uel qui coniugium elegit, reprehendat integritatem: uel qui integritatē sequitur, condemnet coniugium. Nantque huius sententiæ aduersarios intérpretes damnauit iam dudum Ecclesia, eos scilicet, qui audeant soluere copulam coniugalem. audite enim quid dicat sacrosancta Ecclesia: Veni frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in uineas, uideamus si floruit uitis. multos ager fructus habet, sed ille melior est, qui & fructibus redundat, & floribus. Est ergo Ecclesiæ ager diuersis fœcundus copiis. hic cernas germina uirginitatis flore uernantia, illic, tanquam in campis, siluæ uiduitatem grauitate pollentem, alibi, tanquam uberi fruge coniugii, Ecclesiæ segetem replentem mundi horrea, ac ueluti maritatae uineæ, foetibus torcularia Iesu Domini redundantia, in quibus fidelis coniugii fructus exuberat. nec improbum igitur, nec nouum integritatis est studium. uideamus ne forte inutile iudicetur. nonnullos enim dixisse audiui, quòd periit mundus, defecit genus hominum, coniugia labefactata sunt. Quæro, quis tandem quæsiuit uxorem, qui non inuenerit? quando fuerint bella pro uirgine? quis unquam pro uirgine sit peremptus? De coniugiis

Prouer. 27.

Cant. 5.

Canti. 7.

I autem

autem ista nascuntur, ut perimatur adulter uxoris, raptor proeliis appetatur. ista reipublicæ semper damno fuerunt. pro uirgine sacra nemo damnatus est, quia castitatem non poena cohibet, sed religio auget, fidesque conferuat. Si quis igitur putat consecratione uirginum minui genus humanum, consideret quia ubi paucae uirgines, ibi etiam homines pauciores: ubi uirginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse maiorem. Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis, & Africana ecclesia quotannis sacrare consueuerint. pauciores hic homines prodeunt, quam illic uirgines consecrantur. Ex ipsius igitur orbis terrarum usu non inutilis uirginitas existimatur, praesertim cum per uirginem salus uenerit orbem fecundatura Romanum. Quod si quis hoc prohibet, prohibeat igitur pudicas uxores degere, quia frequentius possunt parere incotinentes. Nulla peregrinanti marito fidem seruet, ne damnum faciat prolis futurae, & partus frequentioris amittat aetate. Sed difficilior fit uia adolescentibus ad nuptias impetrandas. quid si forte commodior? Quæro enim cum iis aliquem habere tractatum, qui arcendae uirginitatis sententiam gerunt. itaque qui sunt isti, discutere debemus, utrum qui uxores habent, an qui non habent. si qui habent, timere non debent: uxores eorum iam uirgines esse non possunt. si qui non habent, non sibi iniuriam faciant, quod eius tantum nuptias sperauerint, quæ nuptura non esset. An fortasse patres pro filiarum coniunctione solliciti, moleste ferunt uirgines consecrari? Nec hi quod uereantur habent, si sequatur consilium. inter paucas suæ citius eligentur. Aiunt etiam plerique maturioris ætatis uirgines esse uelandas. neque ego abnuo, sacerdo-

sacerdotalis esse cautionis debere, ut non temere puella uelatur. Spectet plane, spectet ætatem sacerdos, sed fidei, uel pudoris. spectet & maturitatem uerecundia, examinet grauitatis caniciem, morum senectam, pudicitia annos, animos castitatis. Tamen deinde si matris tuta custodia, comitum sobria sedulitas. si hæc præsto sunt, nõ deest uirgini longæua canicies. si hæc desunt, differatur puella moribus, quàm annis. Non ergo ætas reiicitur florentior, sed animus examinatur. At certe Theclam nõ senectus, sed uirtus probauit. Et hinc quid plura contexam, cum omnis ætas habilis Deo, perfecta sit Christo? Denique non uirtutem ætatis appendicem dicimus, sed uirtutis ætatem. Nec mirere in adolescentulis professionem, cum legeris in paruulis passionem. scriptum est enim: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. An dubitamus, si eum usque ad continentiam sequatur adolescentia, quem usque ad mortem confitetur infantia? et quasi incredibile putamus, si puellæ nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum? Sicut legimus, quia saturata sunt de quinque panibus quattuor millia hominum, exceptis, inquit, pueris, & mulieribus: nolite ergo a Christo arcere infantes, quia & ipsi pro Christi nomine subiere martyrium. Taliũ est enim regnũ cælorum. Vocat eos Dominus, & tu prohibes? de ipsis enim Dominus ait: Sinite eos uenire ad me. nolite adolescentulas arcere, de quibus scriptum est: Propterea adolescentulæ dilexerunt te nimis, & introxerunt te in domũ matris suæ. Nolite postremo a Christi caritate etiam paruulos separare, quem etiam intra matris uterum adhuc positi exultatione prophetica

Psal. 8.

Matth. 14.

Ibidem 19.

Cant. 1.

Luc. 1.

D I V I A M B R O S I I

fatebantur. In ipsis adhuc Ecclesiæ principiiis turbæ re-
 quirebant eum. qua ratione? quia manus, inquit, im-
 ponens curabat eos. nec tempus ad sanandum, nec lo-
 cus quæritur. omnibus enim locis, omnibusq; tempo-
 ribus non est prætermittenda medicina. Intra domum
 Maria ab angelo benedicitur: intra domum David un-
 gitur in prophetam. ubique Iesus curat, ubique sanat,
 in itinere, in domo, in deserto. in itinere curatur quæ
 fimbriam tetigit. in domo principis synagogæ filia re-
 fuscitatur. in deserto turba sanatur. denique sic habes:
 Cum sol autem occidisset, omnes, qui habebant infir-
 mos variis languoribus, ducebant illos ad eum. at ille
 singulis manus imponens curabat eos. Sanabat ergo &
 in deserto, & occidente iam sole, & sanabat imponens
 manus, ut & Deum se, & hominem demonstraret. Non
 immerito igitur facta iam die turbæ requirebant eum.
 uide ordinē. Sole occidente ægri deferuntur ad Chri-
 stum, facta autem die turbæ requirebant eum. Quando
 enim nisi per diem quæritur Christus? nam qui in luce
 ambulat, non recedit a Christo. itaque nox habebat
 adhuc ægrotantium gemitus, dies iam fidem plebis,
 iam lætitiā sanatorum: ut, quod scriptum est, comple-
 retur: Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matuti-
 num lætitiā. Quæ enim turbæ maior gratia, quàm ut
 etiam in desertum locum Christum sequatur? in quo il-
 le docet, a perfecto abesse debere iactantiam: non enim
 sanandorum copiam, sed operum iactantiam declina-
 bat. Et nos igitur, si salui esse desideramus, uel si iam
 meremur sanitatem, procul a luxuria, procul a lasciuiā;
 tanquam in arido uitæ istius, & ieiuno solo quadam siti
 corporis fugitantem deliciarum, Christum sequamur.
Sequa-

Luc. 8.
 Ibidem 4.

Psal. 29.

Sequamur per diem. Adest Ecclesiæ dies, quem Abraham uidit, & gauisus est. sequamur ergo per diē Christum. nō enim in noctibus reperitur. In cubili, inquit, meo, in noctibus quæsiui quē dilexit anima mea. quæsiui eum, & nō inueni eum. uocaui eum, & non obaudiuit me. non in foro, non in plateis Christus reperitur. Denique nec illa eum in foro, & in plateis potuit reperire, quæ dicit: Exurgam, ibo, & circumibo in ciuitate; in foro, & in plateis, & quæram quem dilexit anima mea. Quæsiui eum, & non inueni eum. uocaui eum, & non obaudiuit me. Nequaquam igitur ibi quæramus Christum, ubi inuenire non possumus. Non est Christus circumforanus. Christus enim pax est, in foro lites. Christus iustitia est, in foro iniquitas. Christus operator est, in foro inane otium. Christus caritas est, in foro obtrectatio. Christus fides est, in foro fraus, atque perfidia. Christus in ecclesia est, in foro idola. Et ut illa uidua, quam in alio perstrinximus libro, cognoscat non obtrectandi me locutum illa studio, sed monendi, meque non asperum, sed sollicitum, gratiam reconciliationis accipiat. In ecclesia uidua iustificatur, in foro circumuenitur. Fugiamus ergo forum, fugiamus plateas. Prudentiam autem notam assume tibi, ut custodias te a muliere aliena. per fenestrā enim de domo sua in plateis prospicit. fugiamus plateas. non enim iniuria tantummodo est, non inuenisse quem quæras, sed etiam plerunque ubi non oportet quæsisse uulnus est, quæsisse in domibus uirorum qui sibi falso doctorū nomen assumunt, quæsisse procacius, quàm uerecundius. Ergo caueamus exemplo Ecclesiæ illius, ne qui nos custodes inueniant, qui circumeunt ciuitatē. Inuenerunt, inquit,

Ioan. 8.

Canti. 3.

Prouer. 7.

Cant. 5.

DIVI AMBROSII

inquit, me custodes, qui circumeunt ciuitatem . percuf-
 ferunt, & uulnerauerunt me, & tulerunt pallium meum
 a me custodes murorum . Non in se filia, non, inquã,
 in se filia, sed in nobis Ecclesia uulneratur . caueamus
 igitur, ne lapsus noster, uulnus Ecclesie fiat: ne quis a no-
 bis pallium auferat, hoc est amictum prudentie, infigne
 patientie, quo mollioris ambitio uestis exiuit . Qui
 enim mollioribus uestibus induuntur, in domibus re-
 gum sunt . nobis autem pallium dedit Christus, quo
 Apostolos suos, & corpus suum ipse uestiuit . Quod de
 nique iubet te dare, si quis a te tunicam petat, ut dimit-
 tas ei & pallium, id est, infigne philosophie tue tradas,
 & quasi amictu prudentie tue eum, qui ante nudus fue-
 rat, circumuestias . Ibi igitur filia Christum quaramus,
 ubi quærit Ecclesia, in montibus boni odoris, qui ex-
 celsorum sublimitate factorum, suauem uitæ odorem
 pro meritorum uerticibus exhalant . Fugit enim plateas,
 fugit conuentus, & strepitus fori, iuxta quod scriptum
 est : Fuge fraternus meus, & similis efficere ceruo, aut
 hinnulo cerui in montes aromatum . Serpentinis enim
 inuisus colubris, effugitans canum, atque humi re-
 ptantibus infestus serpentibus, nescit habitare nisi in
 sublimitate uirtutum; nescit commorari nisi in talibus
 Ecclesie filiabus, quæ possunt dicere : Christi enim bo-
 nus odor sumus Deo : sed quibusdam odor mortis in
 mortem, in iis, qui pereunt : quibusdam odor uitæ in
 uitam, in iis utique, qui odorem resurrectionis domi-
 nicæ uiuida fide sperant . Isti sunt aromatum montes,
 qui domini corpus Iesu acceperunt, & in linteis cum
 aromatibus ligauerunt . Quicumque enim crediderunt
 quia Iesus mortuus est, & sepultus est, & resurrexit, hi
 excelsum

Matth. 11.

Matth. 5.

Cant. 2.

2. Cor. 2.

Ioan. 19.

excelsum ueræ cacumen fidei uirtutum fastigiis extulerunt. Vbi ergo Christus quæritur? in pectore prudentis scilicet sacerdotis. Et quoniam de deserto tractatus hic sumitur: ubi quæredus sit, etiam ipse monstrat, dicens: Ego flos campi, & lilium conuallium, tanquam lilium in medio spinarum. Ecce alius locus, in quo solet Dominus diuersari, immo non in uno loco, sed in pluribus. Ego, inquit, flos campi: quia patentem simplicitatem puræ mentis frequentat. Et lilium conuallium, flos enim humilitatis est Christus, non luxuriæ, nō uoluptatum, atque lasciuia, sed flos simplicitatis, flos humilitatis, tanquam lilium in medio spinarum. Nonne inter asperitates laborum, contritionesque animorum boni flos odoris assurgit, quia cōtrito corde Deus placatur? hoc est desertum filia, quod ducit ad regnum, hoc est etiam desertum, quod floret ut lilium, iuxta quod scriptum est: Lætare sterilis, & exulta desertum, & floreat ut lilium. In hoc deserto filia, arbor illa bona fructifera, quæ bonos fructus facit, incipit brachia factorum suorum diffundere, uerticem diuinitatis attollere, iuxta quam nostræ ligna siluæ frutescant: quia sicut arbor mali inter ligna siluæ, ita frater meus inter medium filiorum. Et uidens hoc Ecclesia lætetur, & gaudeat, dicens: In umbra eius concupiui, & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Videns, inquam, hoc Ecclesia, & fidei nostræ iam læta successu dicat, Inducite me in domo uini, & ordinate in me caritatem. caritas non potest esse sine fide. Tres enim uelut uades sunt Ecclesiæ, spes, fides, caritas. Cum spes præcesserit, fides fundata fuerit, ordinatur caritas, Ecclesia copulatur. Didicisti ergo ubi Christum requiras: disce etiã quem admodum

Cant. 2.

Esa. 35.

Matth. 7.

Cant. 2.

DIVI AMBROSII

admodum possis mereri, ut ille te quærat. Excita spiritum sanctum dicens: Exurge aquilo, & ueni auster, aspira hortum meum, & profluant aromata mea. Descendat fraternus meus in hortum suum, & manducet fructum pomiferarum suarum. hortus uerbi, animæ uernantis affectus est, & in pomiferis uirtutis est fructus. Venit ergo: & siue manduces, siue bibas, si Christum inuocas, adest, dicēs: Venite, manducate panes meos, & bibite uinum meum. siue etiam dormias, pulsat ad ianuam. Venit, inquam, frequenter, & per prospectū mittit manum suam, sed non semper, nec ad omnes, sed ad eam animam, quæ potest dicere: Nocte exui me tunicam meā. etenim in hac sæculi nocte prius tibi corporalis uitæ amictus est exuendus. Exiit enim se carne Dominus, ut pro te de dominationibus, & potestatibus mūdi istius triumpharet. Quo modo induā illam? Vide anima Deo deuota quid dicat. Sic se actus corporis & terrenos exiit mores, ut nesciat quo modo, etiā si uelit, rursus possit induere. Quo modo induam illam? hoc est, qua uerecundia? quo pudore? qua postremo memoria? Consuetudo enim boni, usum ueteris prauitatis amisit. Laui pedes meos, quo modo inquinabo illos? Didicisti in euangelio, quod pedes lauare, fidei mysterium, humilitatis insigne sit, iuxta quod scriptū est: Si ego laui pedes uestros Dominus & magister, quāto magis uos debetis alter alterius lauare pedes? Sed hoc ad humilitatem pertinet. quantum uero ad mysterium, pedes debet lauare suos qui uult partem habere cum Christo. Si enim non lauero, inquit, tibi pedes, non habebis partem mecum. Cum hoc Petro dicitur, quid de nobis censetur? Qui lauit igitur pedes, non
necesse

Prouer. 9.

Cant. 5.

Ioan. 13.

necesse habet iterum lauare: & ideo caueat ne inquinet eos. et bene sancta Ecclesia dicit: Laui pedes meos. non dicit. quo modo iterum lauabo eos? sed quo modo iterum inquinabo eos? quasi oblita maculae ueteris, oblita contagii. admonet igitur in ministerio corporali quemadmodum spirituale debeamus actuum nostrorum diluere uestigium. Itaque pedes cum semel laueris aterni fontis irriguo, & mysterii mandaueris sacramento, caue iterum corporeae cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus sordibus inquinentur. Isti sunt pedes, quos Dauid lauit in spiritu, qui te docet quemadmodum eos inquinare non possis, dicens: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. utique hic non corporis, sed animi intellige pedes. quo modo enim terrenus homo in caelo haberet corporis pedes? Hierusalem enim, sicut Paulus te docuit, in caelo est. et idem te docuit quemadmodum in caelo stare possis, cum dicit: Nostra autem conuersatio in caelis est. conuersatio morum, conuersatio factorum, conuersatio fidei. Quisquis sic uiuit, potest dicere: Frater meus misit manum suam per prospectum, & uenter meus turbatus est ad illum: surrexi aperire fratri meo. Bonum est ut ad aduentum Domini interiora turbentur. Si ad angeli aduentum Maria turbata est, quanto magis ad Christi nos turbamur aduentum? Influentibus quippe diuinis, corporeus peregrinatur affectus, & usus ille exterioris hominis exolefcit. Et tu turbare, & tu festina: festinantes illi agnum manducare praecipuntur. Surge, aperi, ad ianuam Christus est, uestibula domus tuae pulsat. si aperueris, introibit, & introibit cum patre. Nec solum cum ingressus fuerit, mercedem relinquit, sed etiam prius quam ingrediatur,

Psal. 121.

Philip. 3.

Cant. 5.

Luc. 1.

Exod. 12.

D I V I A M B R O S I I

Cant. 5.
Ioan. 19.
Esa. 49.
Rom. 5.
Psal. 44.
Esa. 50.

mercedem præmittit. Adhuc anima turbatur, adhuc
 parietes domus suæ palpat, adhuc ostium quærit, ubi
 Christus est, adhuc soluit uinculum carnis, & corporis
 claustrum, adhuc Christus foris pulsatur. Manus, inquit,
 meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni in mani-
 bus clausuræ. Quam myrrham stillant animæ manus,
 nisi illam, quam obtulit iustus ille Nicodemus magi-
 ster in Israel, ille qui meruit lauacri primus audire my-
 sterium, qui attulit misturam myrrhæ, & aloes quasi li-
 bras centum, & misit in corpus Iesu? Perfectum utique
 odorem fidei attulit. Hunc odorem fragrat anima, quæ
 Christo aperire incipit: ut accipiat primum odoré do-
 minicæ sepulturæ, & credat quia caro eius nõ uidit cor-
 ruptionem, nec odore aliquo mortis emarcuit; sed æter-
 ni illius floris, & semper uirétis odore condita surrexit.
 Quo modo enim poterat uel in carne marcescere, cuius
 nomen unguentum exinanitum est? exinaniuit se, ut
 spiraret tibi. semper unguentum hoc erat, sed erat apud
 patrem, erat in patre. olebat tantum angelis, & archan-
 gelis, tanquam intra uas cæli. Aperuit os pater dicens:
 Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucé gen-
 tium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. De-
 scendit filius, repleta sunt omnia nouo odore uerbi. Eru-
 ctauit cor patris uerbum bonum, fragrauit filius, spiri-
 tus sanctus exhalauit, atque per omniû corda diffudit.
 diffusa est enim caritas Dei in cordibus nostris per Spi-
 ritum sanctum. Ipse Dei filius in corpore, tanquam in
 uase, odorem primo cohibebat suum, operiens tem-
 pus: sicut ait: Dominus dat mihi linguam eruditionis,
 ut sciam quando oporteat me dicere sermonem. Venit
 hora, aperuit os, exiuit unguentum, quando uirtus
 exibat

exibat de eo . Hoc unguentum exinanitum est supra Iu-
 daeos , & collectum est a gentibus . exinanitum in Iu-
 daea : & redoluit in omnibus terris . hoc unguento un-
 cta est Maria , & uirgo concepit , uirgo peperit bonum
 odorem Dei filium . hoc unguentū effusum est super a-
 quas , & sanctificauit aquas . hoc unguēto uncti sunt tres
 pueri , & humorē iis flamma rorauit . hoc Daniel unctus
 est , & leonum ora molliuit , feritatemque permulsi-
 t . Fluit hoc unguentū quotidie , & nunquam deficit . Ac-
 cipe uas tuum uirgo , & accede , ut possis hoc unguen-
 to repleri . accipe unguentum æstimatum trecentis de-
 nariis , sed gratis datum , non uenditum , ut omnes ha-
 berent . Gratis uirgo ungere , noli cōtristari sicut Iudas ,
 quia hoc unguentū effunditur , sed consepeli te in Chri-
 stum . Claude sane uas tuum , ne unguentum effluat .
 claude integritatis claue , loquendi uerecundia , absti-
 nentia gloriandi . hoc quæ habet unguentum , Christum
 recipit . et ideo quæ habebat , ait : Aperui , inquit , fra-
 tri meo . frater meus transiuit . quo modo transiuit ? id
 est , mentis interna penetrauit , sicut dictum est Mariæ :
 Et tuam ipsius animā pertransibit gladius . Viuum enim
 uerbum Dei sicut gladius acutus penetrans corporaliū
 repagula cogitationum , cordis interna rimatur . Et tu
 igitur anima una de populo , una de plebe . neque enim
 Christus stupet aliqua sæcularium discrimina dignita-
 tum , nec auratam uestem , aut monile pretiosum , aut
 nobilia coruscantium gemmarum ferta miratur , quorū
 dispendiis sæpe lis mouetur in Ecclesia , pax fugatur . Cer-
 te tu una de uirginibus , quæ corporis tui gratiam splen-
 dore mentis illuminas : (propior enim es quæ Ecclesiæ
 compareris) Tu inquam , in cubiculo tuo , & nocturno

Ioan. 12.

Canti. 5.

I. uc. 2.
Heb. 4.

tempore constituta, semper meditare Christū, & eius aduentum omnibus sperato momentis. si tardare tibi uideatur, exurge. Tardare uidetur cum diu dormis, tardare uidetur cum ab oratione uacas, tardare uidetur cum uocem non excitas psalmis. Primitias uigiliarum tuarum Christo dicato, primitias actuum tuorum Christo immola. Audisti in superioribus quia uocauit te dicens: Veni a Libano sponsa, ueni a Libano, transibis, & pertransibis a principio fidei. transibis in sæculū certatura, pertransibis ad Christum triumphatura de sæculo. Audisti quia te a leonum & pardorum, id est a spiritualium nequitiarū incursionibus separauit. audisti quia placet ei tuarum pulchritudo uirtutum. audisti quia uentilamentorum tuorum aromata, hoc est bonum odorem integritatis omnibus odoribus prætulit. audisti. quia hortus es clausus, suauium pomiferarum refertus fructibus. Pete igitur ut aspiret tibi Spiritus sanctus, spiret supra cubile tuum, atque odorem piæ mentis, & gratiæ spiritualis accumulēt. Respondebit tibi: Ego dormiui, & cor meum uigilat. audis uocem pulsantis ad ianuam, & dicentis: Aperi mihi soror mea, surge proxima mea, columba mea; perfecta mea, caritate proxima, simplicitate columba, uirtute perfecta, quia caput meum plenum est rore. sicut enim ros cæli nocturnas amouet siccitates, ita ros Domini nostri Iesu Christi nocturnis, & secularibus tenebris æternæ uitæ stillauit humorē. Hoc est caput, quod æstu mundi nesciuit ardescere. unde ait: Quia si in humido hoc faciunt, in arido quid facient? Hoc igitur caput rorat alios, sibi abundat. et bene abundat caput Christi, quia caput tuum Christus est, qui plenus est semper, nec liberalitatibus exhauritur suis, aut diuturna

Cant. 4.

Cant. 5.

Luc. 23.

diuturna deficit largitate. In hoc caput ferrum non ascendit, quod est instrumentum belli, insigne discordiæ. Nunc expecta, & uide, ros ille qualis sit, scilicet non uulgaris humoris. cincinnati autem sunt in eo guttarum noctis. Noli proxima mea accipere cincinnos corporalium capillorum. non illa ornamenta, sed crimina sunt. lanocinia formæ, non præcepta uirtutis. Alios cincinnos Nazareus habet, quibus ferrum nõ ascendit, quos nemo præcidit, qui non calamistris compositi, & arte digesti, sed multiplici crispante uirtutum nitentiũ gratia refulserunt. Disce in historia quales Nazareus Iudic. 16. cincinnos habeat, quos quamdiu Sanson habuit intactos, nunquam uinci potuit. cincinnos perdidit, & meritum uirtutis amisit. audita igitur uirtute uerbi, quam exueras tunicam nocte, ne quæseris quemadmodum induas eã. offunditur enim, & frequenter offertur per nequitiam spiritalem. Quemadmodum, inquam, induas eam, obliuiscaris, & nescias: & quasi iam Dominus assistat, exors corporalium uinculorũ turbata confurgas, internam orationibus præpares mentem dum surgis, ut ex humilibus ad supernas contendas, & studeas fores tui cordis aperire: dum manus tuas tendas ad Christum, fidelem tua gesta spirabunt odorem. Admoue igitur manus naribus tuis, & odorem actuum tuorum indefessa, ac peruigili alacritate mentis explora. Mulcebit te odor dextræ tuæ, & fragrantiam resurrectionis tua membra redolebunt: myrrham digiti sudabunt tui, hoc est, ueræ fidei gratiam spiritalia gesta fragrant. Capis ergo uirgo ex interiore tuo corpore uoluptatem, & ipsa tibi dulcis, ipsa tibi suauis es, ipsa tibi, quod peccantibus sæpe contingit, nõ incipis displicere.

Plus

DIVI AMBROSII

Plus enim tibi placebit nuda simplicitas corporeæ fraudis exuta tegminibus. talem te Christus desiderauit, talem te Christus elegit. aperto itaque ingreditur ostio. neque enim potest fallere, qui se ingressurum esse promisit. Complectere igitur quem quæstisti, accede ad ipsum, & illuminaberis: tene illum, roga ne cito abeat, obsecra ne recedat. uerbum enim Dei currit, fastidio non capitur, negligentia non tenetur. obeat anima tua in uerbo eius, & cælestis sermonis insiste uestigio, cito enim transit. Denique quid ait illa? Quæstui eum, & non inueni illum: uocaui eum, & non obaudiuit me. ne pu- res displicere te, quæ uocasti, quæ rogasti, quæ aperuisti, quòd tam cito abiit. sinit nos sæpe tentari. Deniq; turbis rogantibus ne recederet, quid ait in euangelio? Et aliis ciuitatibus oportet me euangelizare uerbū Dei, quia ideo missus sum. Sed etiam si ille abiisse tibi uideatur, tu rursus explora: noli iam Deo deuota illos metuendos circumforanos intelligibiles timere custodes; noli timere eos, qui circumeunt ciuitatem; noli uulnera formidare, quæ sequentibus Christum nocere nō possunt. etiam si corpus tuum, hoc est uitam corporis tui auferant, uicinus est Christus: quem cum inuenis, ubi cum eodem cōmorari debes agnosce, ne forte ante discedat. cito enim deserit negligentes. Quis igitur te, nisi sancta Ecclesia, debet docere quemadmodum Christum teneas? immo iam docuit, si quæ legis intelligas. Quàm modicum, inquit, fuit cum transii ab ipsis, donec inueni quē dilexit anima mea. tenui eum, & non relinquam eum. Quibus igitur Christus tenetur? non restium nodis, non iniuriæ nexibus, sed uinculis caritatis, mentis habenis stringitur, & animæ tenetur

Cant. 5.

Luc. 4.

Cant. 3.

netur affectu . si uis & tu tenere Christū , quære iugiter ,
nec poenā metuas . inter supplicia enim frequenter cor
poris , inter ipsas persecutorum manus Christus melius
inuenitur . Quam modicum , inquit , fuit , cum transi-
ui ab ipsis . exiguo enim spatio , breuique momēto cum
persecutorum manus euaseris , nec succubueris potesta-
tibus mundi , tibi Christus occurrit , nec te diu tentari
patitur . Quæ sic Christum requirit , quæ Christum in-
uenit , potest dicere : Tenui eum , nec relinquam eum ,
donec introducam eum in domum matris meæ , & in cu-
biculum eius , quæ me concepit . Quæ est domus ma-
tris tuæ , & cubiculum eius , nisi internum tuæ secretum-
que naturæ ? hanc domum serua , huius domus munda-
to penetralia , ut , cum immaculata domus fuerit , nec
ullius adulterinæ conscientia sordibus inquinata , spiri-
talis domus in sacerdotium sanctū lapide angulari coau-
gmentata confurgat , & Spiritus sanctus habitet in ea .
quæ sic Christum requirit , quæ sic Christum obsecrat ,
non relinquitur ab eo , immo etiam frequenter reuisi-
tur . est enim nobiscum usque ad consumationem mun-
di . Ergo Christus repertus est , & tenetur , & repertus
est ille , qui per fenestram tuam manum misit . quæ est fe-
nestra nostra , nisi per quā opera Christi uidemus , ocu-
lus scilicet animi , & mentis obtutus ? et ideo uirgo per
fenestram tuā Christus introeat , Christus manum suam
mittat per fenestrā , tibi ueniat uerbi , nō corporis amor .
Si igitur per fenestram tuam manum mittit Dei uerbū ,
uide quemadmodū fenestras tuas prepares , uide quē-
admodum ab omni puluere delictorum detergere de-
beas . nihil tetrum habeat , nihil adulterinum fenestra
uirginis . procul stibium , & ceteras affectati nugas deco-
ris ,

Cant. 3

Matth. 28.

D I V I A M B R O S I I

ris, procul adulterini amoris illecebras. Similis aurium
 causa est, quibus non suspendenda onera, non figenda
 uulnera, sed unus ornatus est, audire quod profit. Ianuam
 quoque tuam disce temporibus obserare nocturnis: non facile
 quisquam patentem reperiatur. sponsus ipse uult clausam esse
 cum pulsatur. ianua nostra os nostrum est. Christo propemodum
 soli debet aperiri, nec aperiatur nisi ante pulsauerit Dei uerbum.
 Denique ideo scriptum est: Hortus conclusus soror mea sponsa,
 hortus conclusus, fons signatus. nec facile aperiat os suum,
 ne uulgari designet alloquio. neque enim de ipsis diuinis
 decet nisi uerbo Dei interpellata respondeas. Quid tibi cum
 ceteris? Solum Christo loquere, solum fabulare Christo. Si enim
 mulieres in ecclesia taceant, quanto magis non decet patere
 uirginis ianuam, non decet patere uiduae fores? Cito insidiator
 pudoris obrepit, cito uerbum excidit, quod reuocare desideres. Si
 Euae clausa fuisset ianua: nec Adam deceptus fuisset, nec
 responsum diffuset interrogata serpenti. Introiuit mors per
 fenestram hoc est, per Euae ostium. ingreditur mors per ostium
 tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremo
 si, ubi non oportet, loquaris. Clausae sint igitur labiorum
 fores tuorum, & obseratum maneat uocis uestibulum, tunc
 fortasse referendum, cum audieris Dei uocem, cum audieris
 Dei uerbum. Tunc tibi myrrha sudabit, tunc tibi baptismatis
 aspirabit gratia, ut ab elementis mundi commoriare cum
 Christo, & cum Christo resurgas. Quid adhuc, inquit, uelut
 uiuentes de hoc mundo decernitis? ne tetigeritis, ne
 attaminaueritis, ne gustaueritis quae sunt ad corruptionem
 ipso usu corruptela enim abesse debet a castis. Itaque carnis,
 & mundi

Cant. 4.

1. Cor. 14.

Hier. 9.

Colof. 2.

mundi sepelire curam : quia cum Christo resurrexistis ,
 quæ sursum sunt quærite , ubi Christus est . Cum Chri-
 stum quæritis , patrem Deum uideatis . Christus enim in
 Colof. 3 .
 dextera Dei sedet . Sed ea , quæ Christum requirit , non
 debet esse uulgaris , non debet esse in foro , non in pla-
 teis uoce querula , gressu lubrica , facilis auditu , uilis
 aspectu . terrenum tibi Apostolus consortium negat ,
 & ultra naturæ propemodum terminos alis ad cælum
 docet spiritalibus euolandum . Quæ sursum sunt , in-
 Colof. 3 .
 quit , sapite , non quæ super terram . Sed quia hoc im-
 possibile erat in hoc corporis uelut clauastro reclusis , &
 quia defunctis corporibus anima fertur ad superiora re-
 uolare , alligata dum uiuimus , quadam nostræ lege na-
 turæ , ideo addidit : Mortui enim estis , & uita uestra ab-
 scoudita est cum Christo in Deo . Si abscondita est cum
 Ibidem .
 Christo in Deo , non appareat mundo . Christus enim
 Rom. 6 .
 mortuus est mundo , uiuit Deo . Vide nunc quemadmo-
 dum desiderari amet Christus , confabulationes non
 amet . Aperuit uirgo illa suas fores Dei uerbo : Sed tran-
 siuit , inquit , & exiuit anima mea in uerbo eius . Exi-
 uit a mundo , exiuit a sæculo , remansit in Christo . Quæ-
 Cant. 5 .
 siui , inquit , eum , & non inueni eum . amat enim Chri-
 stus diu requiri . Inuenerunt illam custodes murorum ,
 fortasse sunt & alii custodes , quos magis intelligere
 debeamus . Est enim ciuitas , quæ portas murorum clau-
 Apoca. 21 .
 fas non habet , de qua dictum est : Portæ eius non clau-
 dentur per diem . nox enim non erit amplius in ea , affe-
 rent gloriam , & honorem gentes in illam . Illa est ergo ci-
 uitas Hierusalem , quæ in cælo est , intra quã iam quasi
 perfecta , & immaculata seruaris . non enim intrat in eã
 omne commune . communis castitas non est , cõmunis
 L pudicitia

D I V I A M B R O S I I

pudicitia non est, quæ in libro uitæ scribitur. Si igitur
 inuenimus ciuitatem, ingrediamur in eam, uideamus
 lumen eius, uideamus muros, uideamus tribus, uidea-
 mus fundamenta muralia, uideamus etiam custodes
 murorum. Sed quo modo ingrediamur in eam? In hac
 ciuitate uita est, & una est uia, quæ ducit ad uitã. Via
 ergo Christus est. ergo Christum sequamur. Sed ipsa
 in cælo est ciuitas. Quo modo igitur ascendamus ad cæ-
 lum, docet te euangelista, qui dicit: Et eduxit me spiri-
 tus in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ci-
 uitatem sanctam Hierusalem descendentem de cælo.
 Ascendamus ergo spiritu, quia caro ascendere ad eam
 non potest. ascendamus nos interim ad cælum, ut ad
 nos postea de cælo illa descendat, in qua lumen est si-
 mile lapidis pretiosissimi, ut lapidis iaspidis, & crys-
 talli. Habet murum magnum & altum. didicisti lumen, di-
 didicisti murum: disce portas, disce custodes. Habet, in-
 quit, portas duodecim, & in portis angelos duode-
 cim, in quibus duodecim tribuum filiorum Israel super-
 scripta sunt nomina. In portis patriarcharum nomina
 continentur, in muro Apostolorum. fundamenta enim
 ciuitatis Apostoli, & lapis angularis est Christus, in quo
 omnis structura cõsurgit. Deus extra, Deus intus, Deus
 ubique est. Habet enim, inquit, ciuitas maiestatem Dei.
 Ergo & uos sanctæ uirgines, & quicumque iusti estis, &
 immaculatã animæ geritis castitatem, ciues sanctorum
 estis, & domestici Dei. Sed tunc nobilitatem istam pa-
 triæ possidebitis, si Christum intra ciuitatis huius præse-
 pia quæritis, ingressi per fidem, actusque pretiosos pa-
 triarcharum, clarificati lumine, fundati super Apo-
 stolos, uersantes inter angelos. Quo modo igitur isti cu-
 stodes

Ioan. 14.

Apoca. 21.

Eph. 2.

stodes angeli sunt, qui castæ animæ pallium tollunt?
 Aliud pallium uirginum est, aliud adolescentiæ circum-
 foranæ. illa, quæ in foro Christum requirit, pallium etiam
 quod habebat amisit. prudentia enim non in foro, & in
 plateis, sed in ecclesia possidetur. Et fortasse, ut cum
 ipsis quoque ueniamus in gratiam, atque omnium mi-
 sericordem Deum esse doceamus, quia & illi Christum
 aliquando reperiunt, si tamen iugiter quærant: pallium
 hoc amictus est corporis. Ergo qui quæsiuit in cubili
 Christum, si tamē sic quæsiuit, sicut ille qui dixit: Sic
 memor fui tui super stratum meum. Si quæsiuit in no-
 ctibus, iuxta quod scriptum est: In noctibus extollite ma-
 nus uestras in sancta. si quæsiuit in ciuitate, in foro, &
 in plateis, in ciuitate Dei nostri. in foro fortasse, in quo
 iudex ille diuini iuris sedet. in plateis unde collecti sunt
 qui ad cenam dominicam conuenerunt. Potest custo-
 dientibus ciuitatem Dei angelis, dum diu quærit, oc-
 currere. Quinetiam ex cælesti custodum natura cælestē
 intelligere possumus ciuitatem, cæleste forum iustitiæ
 sempiternæ, non uiles plateas, sed fortasse in quibus su-
 perfluere fons ille consueuit, de quo scriptum est: Su-
 perfluat tibi aquæ de tuo fonte, & in plateis tuis diffun-
 dantur tuæ aquæ. Qui sic ergo Christum requirit, ad an-
 gelos peruenit. Sed si bonis ad angelos meritis perueni-
 tur: cur qui peruenit uulneratur? Est & gladius bo-
 nus, cuius gladii bonum uulnus. Vulnerat Dei uerbum,
 sed non ulcerat. est uulnus boni amoris, sunt uulnera
 caritatis. Ideoque dixit: Vulnerata caritate ego sum.
 Quæ perfecta est, uulneratæ caritatis est. Bona sunt igitur
 uerbi uulnera, bona sunt amantis uulnera. Vtilio-
 ra enim uulnera amici, quàm uoluntaria oscula ini-
 mici.

Psal. 62.

Psal. 133.

Luc. 14.

Prouer. 5.

D I V I A M B R O S I I

Gala. 4.

Cant. 5.

Colof. 2.

Matth. 5.

mici. Vulneratæ caritatis Rebecca est, quæ derelictis parentibus migravit ad sponsum. uulneratæ caritatis Rachel, quæ zelauit sororem, amauit maritum. Sorori enim quòd abundaret filiis, ipsa adhuc sterilis inuidebat, quia typum gerebat Ecclesiæ, cui dicitur: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama quæ non parturis. Inuenerunt ergo custòdes, & uulnerauerunt eam, & tulerunt ei pallium, hoc est, actus corporales: inuolucrũ sustulerunt, ut nuda mentis simplicitas quæreret Christum: quia nemo potest uestitus amictu philosophiæ, in habitu scilicet sapientiæ sæcularis Christũ uidere. Et bene tollitur ei amictus philosophiæ, ne quis eam per philosophiam deprædetur. bene tollitur ei pallium, quæ ad Christũ propinquat, ut Deũ uisura mundo corde gradiatur. Beati enim mundo corde, quoniã ipsi Deum uidebunt. Denique ubi mundauit cor, uerbum reperit, Deum uidit. Quære ergo illum uirgo, immo quæramus omnes: anima enim sexum non habet. Sed ideo fortasse femineum nomen accepit, quòd eam uiolentior æstus corporis angit. ipsa autẽ impetus carnis amore sui molli quadam, & blanda ratione demulcet. Ergo orationibus, & obsecrationibus Deum inuitare debemus, ut quasi bonus auster afflare dignetur, uerbique nobis auram cælestis aspiret, quæ fructiferas arbores non turbare uento graui, sed leni spiramine, flatuque molli consueuit agitare. unde scriptum est: Posuit me currus Aminadab: eo quòd anima nostra coniungitur corpori, ut uelut quidam equorum frementium currus rectorem sui quærat aurigam. Aminadab enim pater Naason fuit, sicut in Numeris legimus, qui erat princeps populi Iudæ. cuius figura refertur ad Christum

DE VIRGINIBVS LIB. III. 43

Christum, qui uerus populi princeps animam iusti uelut currum agitator ascendens, uerbi habentis gubernat, ne uiolentorum equorum furore in abrupta rapiatur. Sunt enim eius uelut quattuor equi, quattuor affectiones, ira, cupiditas, uoluptas, timor. quibus furentibus cum coeperit agi, nequaquam se ipsa cognoscit. Corruptibile enim corpus animam grauat, & tanquam irrationabilium animalium cursus inuitam rapit, uoluentibus curris uelut quodam impetu proruentem, donec memoratae corporis passiones uerbi uirtute mitescant. Hæc uerbi tanquam boni agitatoris est prouidentia, ne illi animæ, quæ in se nõ est morti obnoxia, corpus mortale coniunctum agitationem sui faciat esse difficilem. Primo igitur hos ueloces motus corporis domitet, & nexu rationis infranet: dein caueat, ne dispari motu uelut equi se implicent, ut bonum aut improbus decolorret, aut tardus impediatur, aut turbidus inquietetur. Frenit enim equus malitiæ, seseque iactando currum lædit, grauat iugalem. hunc bonus auriga demulcet, & in campum ueritatis mittit, fraudis declinat anfractus. Tutus ad superiora cursus est, periculosus ad inferiora descensus. inde quasi emeriti, qui bene portauerint iugum uerbi, usque ad Domini præsepe ducuntur, in quo non fœnum est esca, sed panis, qui descendit e caelo. Huius currus porro rotæ sunt, de quibus dixit propheta: Et spiritus uitæ erat in rotis: eo quòd currus animæ terres, & rotundus sine ulla offensione uoluatur. Sed ne longius labamur, inuitatur Dei uerbum in hortum nucis, in quo fructus propheticæ lectionis, & sacerdotalis est gratiæ, quæ amara in tentationibus, dura in laboribus, in uirtutibus interioribus fructuosa est. unde etiã

Sap. 9.

Ezech. 1.

Ezech. 1.

uirga

DIVI AMBROSII

Num. 17.

Cant. 5.

Pfal. 33.

Mar. 5.

uirga Aaron nuca floruit, non iam natura sua, sed uirtute secreta. Descendat ergo in hortum suum, ut uindemiet fidem, capiat odores, pabulum caeleste reperiat, suauitatem nostri mellis epuletur, dicens: Vindemiaui myrrham meam cum aromatibus meis, manducaui panem meum cum melle meo. quod diuersarum uirtutum concretum floribus, illarum apum. quae sapientiam praedicant, consono opere congregatum, sancta Ecclesia in fauis condit, ut cibus Christi sit. Omnia igitur habemus in Christo, omnis anima accedat ad eum, siue corporalibus agra peccatis, siue clauis quibusdam saecularis cupiditatis infixis, siue imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, siue multis aliqua sit iam perfecta uirtutibus, omnis in Domini potestate est, & omnia Christus est nobis. Si uulnus curare desideras, medicus est. si febribus aestuas, fons est. si grauaris iniquitate, iustitia est. si auxilio indiges, uirtus est. si mortem times, uita est. si caelum desideras, uia est. si tenebras fugis, lux est. si cibum quaeris, alimentum est. Gustate igitur, & uidete, quoniam suauis est Dominus: beatus uir qui sperat in eo. Sperauit in eo illa, quae fluxu sanguinis laborabat, & continuo sanata est: sed quia fidelis accessit, & tu cum fide filia uel fimbriam eius attinge. iam saecularium fluxus uoluptatum modo torrentis exundans, uerbi salutaris calore siccabitur, si cum fide accedas tamen, si pari deuotione diuini sermonis extremam saltem fimbriam comprehendas, si tremens procidas ante Domini pedes. Vbi sunt pedes uerbi, nisi ubi corpus est Christi? O thesauris omnibus opulentior fides. o uirtutibus corporis omnibus fides fortior. o medicus omnibus salutarior. Simul
ut

ut accessit mulier, uirtutem sensit, medicinam impetrauit, ut si oculū lumini admoueas, illuminatur antequam sentias, & operatio lucis præuenit apparatus. Passio, inueterata, passio immedicabilis, quæ & artis omnē uicerat excogitationem, & pecuniarum subministrationē, solo fimbriæ curatur attactu. Illius igitur femine tibi uirgo, & in adeundo seruanda uerecundia, & in fide imitanda deuotio est. Quanta uero illa gratia, quod ea, quæ uideri erubescerat, uitium tamen non erubuit confiteri? Noli ergo lapsus occulere tuos, fatere quod ille iam nouit, noli erubescere, quod non erubuerunt prophætæ. audi Hieremiam dicentem: Sana me Domine, & sanabor. sic & illa dixit cum tangeret fimbriam: Sana me Domine, & sanabor. salua me Domine, & saluabor, quia gloria mea tu es. sola enim sana est, quam tu sanaueris. Si quis tamen tibi dicat, (quia sic plerunque tentantur fideles) Vbi est uerbum Domini? ueniat, dictum est enim de Domino: Descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc eum si uult. Si quis ergo tibi insultando hoc dixerit, & te in fabulas uoluerit euocare, noli respondere ei. noluit enim talibus respondere Christus. solum Christum interroga. Illis enim si dixeris, non credent: si interrogaueris, non respondebunt tibi. dic soli uerbo. Non laboraui sequens post te, & diem hominis non concupiui. hoc dixit illa mulier, & stetit sanguis. Quamuis fatigata, quamuis ægra quæ diu quæsierat Christum, dixit tamen: Non laboraui sequens post te. neque enim laborat quæ Christum sequitur, cum laborantes ad se, ut requiescant, eucet. ergo ipsum sequamur. quandiu ipsum sequimur non laboramus: quia non est labor in Iacob. et in Esaia:

Qui

Hier. 17.

Matth. 27.

Hier. 17.

D I V I A M B R O S I I

Esa. 40.

Qui expectant Dominum : current & non laborabunt. deinde cum quæreret Christus, quis tetigisset eum, nō-
ne tibi uideretur illa dixisse, quid interrogas? Domine tu
scis, quæ prodeunt per labia mea, ante faciem tuā sunt.
et ideo non confundor peccata propria confiteri. Con-
fundantur qui persequuntur me, & nō confundar ego.

Hiere. 17.

Luc. 5.

Non cōfusus est Petrus dicere: Exi a me Domine, quia
peccator sum ego. Vir enim sapiens & grauis, in quo
esset Ecclesiæ firmamentum, & magisterium disciplinæ,
nihil utilius sibi esse prospexit, quàm ne secundantis
operis extolleretur euentu. et ideo: Exi, inquit, a me

2. Cor. 12.

Domine. non rogat ut deseratur, sed ne infletur. Pau-
lus quoque carnis stimulo gloriatur, quòd sibi, ne ex-
tolleretur, prouisum est. Illecebrosa iactantia est, quam
etiam Paulus ueretur. lubrica, quæ etiam in Paulo ca-
uetur. sed non iste facili mobilis casu, qui reuelationi-
bus timebat extolli. Et ideo quasi fortis athleta lætatur,
quod uulnere corporis emere didicerat animæ sanita-
tem. Ergo & tu, si munera diuina superfluere in te, & re-
dundare cognoueris, tuam metire uirtutem, gratiam
Deo redde, contemplationemque corporis, uelut na-
uis saburram suscipe, ne in te tantis mundi fluctibus ia-
ctantia alicuius aura circumferat. Apes illa sapiens, cum
aeris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis per
inania se librat nubila, ne leue alarum remigium præci-
pitent sabra uentorum. Paulus & Barnabas putauerunt
se grauari, cum cernerent se adorari. et tu caue uirgo,
illius apiculæ modo, ne alarum tuarum uolatum aura
mundi huius extollat. habet enim anima uolatus suos.

Act. 14.

Esa. 60.

Et ideo dictum est: Qui sunt isti, qui sicut nubes uolāt,
& sicut columbæ cum pullis suis? Habet ergo anima spi-
ritales

ritales uolatus, quæ breui momento totum percurrit orbem. Liberæ enim sunt cogitationes prudentium. quanto ad altiora, & diuiniora se subrigunt, tanto magis sine ullo terrenæ molis impedimento feruntur. itaque adhærens Deo, & imaginis in se referens caelestis effigiem, ubi cursus suos ab equorum perturbatione placidauerit, in illum æthereum, purumque locum plausu spiritalium euecta pennarum despicit omnia, quæ in hoc mundo sunt, & æternis intenta uirtutibus supra mundum labitur. supra mundum enim iustitia est, supra mundum castitas, supra mundum bonitas, supra mundum est sapientia: & si in hoc mundo sit, supra mundum tamen est. Supra mundum erat iustitia, cum omnia regna mundi, & uniuersam eius gloriam diabolus offerret. supra mundum fuit, quæ de mundo nihil attingit. denique ait: Venit huius mundi princeps, & in me inuenit nihil. Discite ergo in hoc mundo supra mundum esse: & si corpus geritis, uoliret in uobis ales interior. supra mundum est ille qui tollit Deum in corpore suo. Sed Deum imitari non possumus, imitemur Apostolos, quos mundus odio habuit, quia nõ erant de hoc mundo. hos imitare, hos sequere. Sed arduum putas humana uirtute supra mundum ascendere. bene asseris: Nam & Apostoli non quasi confortes, sed quasi discipuli sequendo Dominum supra mundum esse meruerunt. Et tu esto Christi discipula, Christi æmula: & pro te rogat, qui pro illis rogauit. Non enim pro Apostolis tantum, inquit, rogo, sed & pro iis, qui credent per sermonẽ eorum in me, ut omnes unum sint. Vnum igitur nos esse uult Dominus, ut supra mundum simus omnes, ut una sit castitas, una uoluntas, una bonitas,

Matth. 4.

Ioan. 14.

1. Cor. 6.

Ioan. 15.

Ioan. 17.

M una

D I V I A M B R O S I I

una gratia . his enim alitur , & augetur animæ uolatus . ergo non pigrescamus deferere terrena . Ea est enim natura pennarum , ut agitando se uirtutem capiat . eo iuuatur uolatus , quo anima delectatur . Quæ si semper Deum sequatur , atque in domo Domini habitare desideret , & eius delectatione pascatur , ac miraculis uirtutum alatur cælestium : foris relinquet inuidiam , quæ extra chorum est angelorum ; foris cupiditates corporis , quæ templum Dei maculare non debent . Et ideo quoniam templum Dei sumus , materiales a nobis sollicitudines abdicemus . Ac ne forte philosophica alicui , aut poetica usurpasse uideamur , ut currus , equos , alas animæ diceremus , quæ illi magis assumpsere de nostris : domesticis nos usos subsidiis , propheticæ series lectionis ostendit , quæ in hunc modum a sancto Ezechiele scripta est . Et facta est illic super me manus Domini , & uidi , & ecce spiritus uergens ueniebat ab aquilone , & nubes magna erat in eo , & ignis refulgens , & lumen in eo , & in medio sicut lumen electri in medio ignis , & lumen in eo , & in medio sicut similitudo quattuor animalium . Vides igitur animalia iam quattuor esse descripta . cuiusmodi sint animalia ista , debemus aduerte-
re . Similitudo , inquit , uultus eorum facies hominis , & facies leonis a dextris illorum quattuor , & facies uultu a sinistris ipsorum quattuor , & facies aquilæ desuper ipsorum quattuor , & alæ eorum extensæ . Hic quoque animam describi accepimus , cuius quattuor animalia , quattuor affectiones sunt , sed non ita ut illæ , quas supra descripsimus . Adhuc enim illæ erudiuntur animæ , processumque accipiunt , hæc iam perfecta describitur . denique illæ inuitantur ad cælum , hæc in cælo est cū Dei uerbo .

Ezech. i.

3. 20. 1

71. 2501

71. 2501

22. 22

300 M

uerbo . habet autem quattuor affectiones , id est simili-
 tudini hominis , leonis , uituli , & aquilæ comparan-
 das . quas formas librorum euangelicorum proprietate
 accepimus figuratas . Et ideo hic quoque in homine ra-
 tionabilis , in leone impetibilis , in uitulo concupisci-
 bilis , in aquila uisibilis , per figuras animalium species
 affectionis expressa est . Nam in omni sapiente uiro pru-
 dentes Græciæ esse memorauerunt , λογιστικόν , θυμικόν ,
 ἐπιθυμητικόν , διορατικόν . Latini uero prudentiam , forti-
 tudinem , temperantiam , atque iustitiam . Prudentia
 enim rationis humanæ est : Fortitudo uim quandam fe-
 rocientis uirtutis habet , morisque contemptum : Tem-
 perantia sacratæ uinculo caritatis , mysteriorumque con-
 templatatione cælestium , negligit corporis uoluptates :
 Iustitia in alto quodam suggestu locata uidet , explo-
 ratque omnia : quæ aliis potius nata , quàm sibi , non
 ram suas utilitates , quàm publica emolumēta rimatur .
 meritoque anima operata iustitiam , formam aquilæ ac-
 cipit , quòd terrena defugiens , totaque cælesti sublimis
 & intenta mysterio , resurrectionis gloriam pretio æqui-
 tatis adipiscitur . propter quod ad eam dictum est : Re-
 nouabitur sicut aquilæ iuuentus tua . Est ergo & iuxta
 David , alis spiritualibus fulta , quam eousque uolucrum
 nobis uoluit declarare , ut alibi quoque diceret : Ani-
 ma nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantium .
 et alibi : In Domino confido : quo modo dicitis animæ
 meæ , transmigra in montes sicut passer ? Habet igitur
 alas anima suas , quibus se possit libera leuare de terris .
 Alarum autem remigium non materialis compago pen-
 narum , sed continuus ordo bonorum factorū est : qua-
 lis ille dominicus , cui benedicitur : In umbra alarum
 tuarum

Psal. 123

Psal. 10.

Psal. 56.

tuarum sperabo. Non solum enim manus Domini affixæ cruci in modum uolantis extentæ, sed etiam facta cælestia, uelut umbra refrigerante salutis æternæ, mundi feruentis incendia temperarunt. Ergo, quia uolandi nobis data est copia, excitet in se unusquisque Dei gratiam, ac posteriora obliuiscens, priora appetens, ad destinata contendat. Procul a militiæ honoribus, procul ab æstibus mundi: ne, quod fabulæ ferunt, æstu solis cæra resoluta Icareos uolatus penna relabente destituat. Nam licet grauitas dictorum absit, poetico tamen sale declarare uoluerunt, prudentium maturitati tutos uolatus esse per sæculum, iuuenilem uero leuitatem obnoxiam cupiditatibus mundi, resluentibus pennis, & per obliuia ueritatis meritorum compage resoluta, maiore pernicie in terram relabi. Haud facilis uolatus omnibus, difficilis etiam discordantibus in terris animalibus uitæ cursus humanæ est. At si sibi actus nostri ordo cõueniat, uidebit & in nobis propheta rotam illam unam super terram cõiunctam animalibus quattuor. Videbit ergo rursus Ezechiel. uidet enim adhuc, & uiget, & uigebit. uidebit, inquam, rotam in medio rotæ super terram sine offensione labentem. rota enim super terram, uita est corporis ad animæ aptata uirtutem, & ad euangelicum coherentem cursu formata præceptum. rota autem in medio rotæ, ueluti uita intra uitam: quod sanctorum sibi uita non dissonet, sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit & sequentis: uel quod in hac uita corporis, uitæ uoluatur usus æternæ. Cum ista congruerint, tunc diuina uox resultet, tunc super similitudinem throni similitudo sicut species hominis apparebit. Hic homo uerbum est, quia uerbū caro factum est, hic homo nostrorum

Ioan. 1.

rum est agitator animalium, nostrorū rector est morum, qui pro nostrorū ratione meritorū, aut currum plerumque, aut montē ascendit, aut nauem, sed nauem, in qua aut Apostoli nauigant, aut piscatur Petrus. nec enim utilis est nauis, quæ ducitur in altum, hoc est, ab incredulis separatur. Cur enim nauis eligitur, in qua Christus sedeat, turba doceatur, nisi quia nauis Ecclesia est, quæ pleno dominicæ crucis uelo sancti flatu spiritus in hoc bene nauigat mundo? In hac naui piscatur Petrus, & nunc retibus, nunc hamo piscari iubetur. Grande mysterium. spiritalis enim uidetur esse piscatio, qua doctrinæ hamum mittere iubetur in sæculum, ut primum illum martyrem Stephanum de mari uerrat, qui censum Christi in interioribus contineret, martyr enim Christi thesaurus Ecclesiæ. Martyr igitur ille, qui de mari cælum primus ascendit, captus a Petro, minister altaris, non reti, sed hamo leuatus, ut riuo sui sanguinis eleuaretur. cuius in ore thesaurus erat, cum Christum in confessione loqueretur. Qui enim thesaurus in nobis est, nisi Dei uerbum? Ergo & retibus, & hamo piscatur perfectior, ut reti cōcludat, hamo adurat. Sed reti turba concluditur, hamo singularis eligitur. O si mihi liceret illum hamum uorare, qui adureret os meum, & leui daret salutem uulnere. Intrate igitur filiæ in Apostolorum retia, quæ non hominis auctoritate, sed Dei uoce laxantur. Rete enim sapientiæ spiritalis, atque doctrinæ regnum cælorum est, quia scriptum est: Simile est regnum cælorum reti missō in mare. Audistis hodie dicentem Dominum Iesum Simoni: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Ante non ducebat in altum Petrus, quando piscabatur in stagno. et si mare erat,

Luc. 5.

Ibidem.

Matth. 13.

Luc. 5.

† DIVI AMBROSII

erat, altum non erat. altum mare scriptura nescit. Quid ergo sit altum, accipe. Aqua alta, consilium in corde uiri. altum cor uiri est, ubi nihil uadosum est. Duc ergo in altum disputationis tuæ, fideique remigium, duc in cor uiri. Per parabolam hic uocat ad Ecclesiam Petrum, quem secundum Matthæum simplici uocauit sermone, dicens: Venite, & faciam uos piscatores hominum. Est & aliud mysterium. Duc in altum: quia ante in arena erat quando in synagoga erat, alta non erat aqua Iudææ. Denique Samaritana & puteum altum putabat, dicens: Et puteus altus est, unde mihi aquam uiuam habes dare? Non ergo ducere in altum poterat, quando cum Iudæis credebat, qui etiam de puteo aquam haurire non poterant. ideo dicitur Petro: Duc in altum. hoc est, duc ad Christum. altus enim Christus, de quo dicitur ad Ioannem a patre: Et tu puer propheta altissimi uocaberis. Duc ergo ad Christum. et bene altum, in quo est altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. Duc in altum, quia altus super altum custodiet, & exaltabit. ibi ergo alta aqua, ubi Christus est, hoc est, fides: alta aqua, quæ timent Deum, quales illæ: Viderunt te aqua Deus, uiderunt te aqua, & timuerunt. Apud Iudæos aqua alta non erat in corde uiri. ideoque Dominus ait: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. In corde amat esse Christus. Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Denique ut scias quia de fide dicit, Duc in altum: ait Petrus: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, sed in uerbo tuo laxabo retia. Noctem habebat Petrus antequam Christum

stum uideret . nondum enim uenerat dies , quia ueram non uiderat lucem . synagoga nox est , dies Ecclesia est . Vnde & Paulus dicit : Nox præcessit , dies autem appropinquauit . Bona lux , quæ perfidiæ excussit caliginem , fidei diem fecit . Dies factus est Petrus , dies Paulus . ideoque hodie natali eorum spiritus sanctus increpuit , dicens : Dies dici eructat uerbum : hoc est , ex intimo thesauro cordis fidem prædicat Christi . Et bonus uterque dies , qui nobis uerū lumen euomuit . Hæc in euangelio legimus : et fortasse in cælo hodie de nobis Christi & Petri iste sit sermo . Quotidie piscatur Petrus , quotidie ei dicit Dominus : Duc in altum . Videor mihi audire dicentem Petrum : Præceptor , per totam noctem laborantes nihil cepimus . Nox fuit cum pauciores ad uigilias conuenerunt . laborabat in nobis Petrus , quando nostra laborabat deuotio . laborabat & Paulus . Denique audistis dicentem hodie : Quis infirmatur , & ego non infirmor ? Nolite facere ut pro uobis laborent Apostoli . ergo dicunt ei : Per totam noctem laborantes nihil cepimus . nullus certe de ditioribus ieiunauit . Quibus hodie bene respondit Petrus : In timore hoc incolatus uestri tempus conuersamini , scientes quod nō corruptibilibus argento , uel auro redempti estis de uana uestra conuersatione paternæ traditionis , sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati , & immaculati Christi Iesu . non ergo aurum & argentum uos liberauit , sed probatio fidei multo pretiosior auro , quod perit . Bonus seruus pretiū studet præparare Domino , quod pro se solutum est . Noli aurum parare filia , noli argentum . non diuitiis istis te Christus redemit . Paratum habeto pretium . non semper exigeris , sed semper debes . Sanguinem

Rom. 13.

Psal. 18.

Luc. 5.

2. Cor. 11.

1. Petr. 1.

guinem soluit, sanguinem debes. ille pro te soluit, tu pro te redde. Eramus oppignerati malo creditori, peccatis. contraximus chirographum culpæ, poenam sanguinis debebamus. uenit Dominus Iesus, suum pro nobis sanguinem obtulit. sed non potes sanguinem reddere. Bonus quidem seruus debet pretium suum reparare Domino suo. Sed si non potest pretium reddere: uel hoc faciet, ne pretio uideatur indignus. Ergo & tu dignum te gere tali pretio, ne ueniat Christus, qui te mundauit, qui te redemit: & si te in peccato inuenit, dicat tibi: Quæ utilitas in sanguine meo? Quid profeci tibi, dum descendo in corruptionem? Sed ne mireris quo modo descenderit in corruptionem: cuius caro, ut alibi scriptum est, non uidit corruptionem. Descendit quidem in locum corruptionis, qui penetrauit inferna, sed corruptionem incorruptus exclusit. Verum, ut iam ad superiora redeamus, rogate ut & mihi dicatur: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Quis enim est, qui sine Deo piscetur hanc plebem, præsertim cum tantæ tempestates, & procellæ mundi huius obsistant? Sed quando uult Dominus, iubet laxare retia, & capitur multitudo piscium. nec solum una, sed etiam altera nauis impletur, quia plures ecclesiæ immaculata plebe complentur. Et bene accidit, quia nos laboraturos Dominus sciebat, & auxilium de sociis ministrauit. Adest piscator ecclesiæ Bononiensis aptus ad hoc piscandi genus. da Domine pisces, quia dedisti adiutores. nec tamen nostris, sed apostolicis utimur retibus. In illos sinus & quosdam apostolicarum disputationum recessus uestrum filiæ cogatur agmen. uiuificet uos Petrus filiæ, & qui pro uidua interuenit, quanto magis pro

Psal. 29.

Act. 2.

ambrosius

pro uirgine? Qui diutius uiduas flere non passus, motus earū lacrymis suscitauit altricem. uiuificet uos Paulus, qui uos præcepit honorari, qui ait: Bonum est si sic maneant sicut & ego. honore prouocat, magisterio docet, inuitat exemplo. Viuificet uos ille, qui relictis suis omnibus secutus est Dominum. secutus est Petrus, secutus est Ioannes. Vide quid piscator etiam iste profecerit. dum in mari lucrum suum quærit, uitam inuenit omnium. lembum deseruit, Deum repperit. scalmum reliquit, uerbum inuenit. lina laxauit, fidem uinxit. retia plicauit, homines eleuauit. mare spreuit, cælum acquisiuit. Hic ergo piscator, dum ipse turbato agitur salo, mobili mentes statione nutâtes fundauit in petra. Adstruamus igitur piscatoris artem frequentius, ut plenius de uirtute credamus. fuerit minister ignobilis, ut sit euangelista nobilior. paupertate egens, ut uirtute locupletior. uilis ad honorem uideatur, sed pretiosus ad fidem. Quanto minus creditur piscatori, tanto amplius creditur, quia non sua, sed diuina sunt quæ locutus est. obsequii plebeia conditio, expectationē aufert sapientiæ sæcularis, opinionem auget sapientiæ spiritalis. Qui legem non didicit, & quæ legi sunt sapit, ipse sibi lex est. qui legem non didicit, & ultra legem loquitur, ab eo accipit, a quo ipsa lex uenit. Quæ tam repentina dignitas? Piscatores duo in monte Domini, uni latore legis, executori alteri conferuntur. Videte qualis iste piscator sit. Moyses quidem terrena omnia, & mundanæ sapientiæ altitudinem supergressus, usque ad cælum, & sidera prudentia mentis ascendit. piscatoris istius mens non nubibus caligatur, nō temporibus includitur, non mysteriis naturæ cælestis excluditur, sed

N omnem

1. Cor. 7.

Math. 19.

D I V I A M B R O S I I

omnem corporalem materiam supergressa, uerbū apud Deum uidit, & quòd uerbum ipsum Deus esset aspexit. nec obtutu carnis in Petro infirmata trepidauit, sed Dei filium etiam in homine deprehendit, ut assumptio corporis ad ius diuinitatis affumentis adscita, in nomē transfret auctoris. Et Moyses quidem cum dicit: Et dixit Deus, & fecit Deus: patrem, filiumque signauit. Sed ille non ignorabat, ego adhuc ignorabam. Denique post legem populus errauit, post euangelium credidit. magna in diuersis uirtutibus Dei gratia: in illo, quia mundum descripsit: in isto, quia mundum ignorauit.

F I N I S.

DIVI HIERONYMI
EPISTOLA AD DEMETRIADEM,
DE VIRGINITATE SERVANDA.

INTER omnes materias, quas ab adolescen-
Itia usque ad hanc ætatem, uel mea, uel nota-
 riorum scripsi manu, nihil præsentis opere diffi-
 cilius. scripturus enim ad Demetriadem uirginem Chri-
 sti, quæ & nobilitate, & diuitiis prima est in orbe Ro-
 mano, si cuncta uirtutibus eius congrua dixerò, adu-
 lari putabor: si quædam subtraxero, ne incredibilia ui-
 deantur, damnum laudibus eius mea faciet uerecun-
 dia. Quid igitur faciam? quod implere non possum, ne-
 gare non audeo: tanta est auix eius, & matris insignium
 feminarum in iubendo auctoritas, in petendo fides, in
 extorquendo perseuerantia. neque enim ut nouum &
 præcipuum quiddam a me flagitant, cuius ingenium in
 huiuscemodi materiis sæpe detritum est, sed ne uocis
 meæ pro uirili parte desit testimonium in eius uirtuti-
 bus explicandis, cuius, ut inclyti oratoris utar senten-
 tia, spes magis laudanda, quàm res est. quanquã puel-
 lares annos, fidei ardore superarit, & inde coeperit, ubi
 aliis defuisse, perfectæ consummatæque uirtutis est. Sit
 procul obtreçtatio. faceßat inuidia. nullum in ambi-
 tione sit crimen. ignoti ad ignotam scribimus, dunta-
 xat iuxta faciem corporalem. alioquin interior homo
 pulchre sibi cognitus est, illa notitia, qua & Apostolus
 Paulus Colossenses, multosque credentium nouerat,
 quos ante non uiderat. Quantum sit apud me meritum,

DIUI HIERONYMI

immo miraculum uirginis nostræ: hinc potest æstimari, quod occupatus in explanatione templi Ezechielis, quod opus in omnibus scripturis sanctis uel difficillimum est; & in ea parte delubri, in qua sancta sanctorum, & thymiamatis altare describitur: malui parumper hoc uti diuerticulo, ut de altari transfirem ad altare, & hostiam uiuam, placentem Deo, ac sine ulla macula, æternæ pudicitiaë consecrarem. Scio quod ad imprecatione Pontificis, flammeum uirginale, sanctum operuit caput. Et illud apostolicæ uocis insigne celebratum sit: Volo autem uos omnes uirginem castam exhibere Christo. Quando astitit regina a dextris eius, in uestitu deaurato, circumdata uarietate. Qua ueste polymita, & multarum uirtutum diuersitate contexta, indutus fuit & Ioseph, & regum quondam utebantur filia. Vnde & ipsa sponsa lætatur ac dicit: Introduxit me rex in cubiculum suum. Sodaliumque respondet chorus: Omnis gloria filiaë regis intrinsecus. sed & nostra oratio dabit aliquid emolumenti. Equorum cursus, fauore perniciosior fit: pugilum fortitudo, clamoribus incitatur: paratas ad proelium acies, strictosque mucrones, sermo Imperatoris accendit. Igitur & in opere præsentis, auia quidem materque plantauerunt, sed & nos rigabimus, & Dominus incrementum dabit. Rhetorum disciplina est: ab auis, & atauis, & omni retro nobilitate, ornare quem laudant, ut ramorum sterilitatem radix secunda compenset: & quod in fructu non teneas, mireris in trunco. Scilicet nunc mihi Proborum & Olibriorum clara repetenda sunt nomina: et illustris Anitii sanguinis genus. in quo aut nullus, aut rarus est, qui non meruerit consulum: aut proferendus Olibrius uirginis nostræ pater

2. Cor. 11.
Psal. 44.

Gen. 37.

Cant. 1.
Psal. 44.

pater, quem immatura morte subtractum, Roma con-
 genuit. Vereor plura dicere, ne sanctæ matris uulnus
 exasperem, & uirtutum eius recordatio, fiat doloris in-
 stauratio. Pius filius, uir amabilis, clemens dominus,
 cuius affabilis, consul quidem in pueritia, sed morum
 bonitate senator illustrior. felix morte sua, qui non ui-
 dit patriam corrulentem. immo felicior sobole, qui De-
 metriadis proauix nobilitatem insigniorem reddidit,
 Demetriadis filix perpetua castitate. Verum quid ago?
 Oblitus propositi, dum admiror iuuenem, laudaui ali-
 quid bonorum sæcularium, cum in eo mihi uirgo ma-
 gis nostra laudanda sit, quod hæc uniuerfa contempse-
 rit, quod non se nobilem, non diuitiis præpollentem,
 sed hominem cogitarit. Incredibilis animi fortitudo,
 inter gemmas & sericū, inter eunuchorum, & puellarū
 cateruas, & adulationē ac præpotentem familiæ perstre-
 pentis, & exquisitas epulas, quas amplæ domus præbe-
 bat abundantia, appetisse eā ieiuniorum laborem, aspi-
 ritatē uestium, uictus continentiam. Legerat enim Do-
 mini uerba dicentis: Qui mollibus uestiuntur, in do-
 mibus regum sunt. Stupebat ad conuersationem Helix
 & Ioannis Baptistæ: quorū uterque zona pellicea astrin-
 xit & mortificauit lumbos suos: alter uenisse narratur
 in spiritu & uirtute Helix, præcursor Domini, in utero
 prophetans parentis, & ante diem iudicii, iudicis uoce
 laudatus. Annæ filix Phanuelis mirabatur ardorē, quæ
 orationibus atque ieiuniis usque ad ultimam senectutē
 in templo Domino seruiabat. quattuor uirginum filia-
 rum Philippi desiderabat chorum, & unam se illarum
 esse cupiebat, quæ pudicitia uirginali, prophetiæ gra-
 tiā consecutæ sunt. His & huiuscemodi cogitationibus,
 pascebat

Matth. 11.
 4. Reg. 1.
 Matth. 3.
 Matth. 11.
 Luc. 2.

Act 21.

12 DIVI HIERONYMI

pascebat animum, nihil ita metuens, quàm auiam, ma-
 tremque offendere. quarum cum incitaretur exemplo,
 uoluntate & studiis terrebatur: non quo displiceret eis
 sanctum propositum, sed quòd, pro rei magnitudine,
 optare id & appetere non auderet. Aestuabat Christi ty-
 runcula. oderat ornatum suum, & cum Hester loque-
 batur ad Dominum: Tu nosti quòd oderim insigne ca-
 pitis mei, hoc est diadema, quo utebatur quasi regina,
 & tantæ ducam immunditiæ, uelut pannum menstrua-
 tæ. Aiunt sanctæ & nobiles feminae, quæ eam uiderunt,
 quæ norunt, quas de littore Galliarum ad habitatione
 sanctorum locorum, hostium per Africam compulit sæ-
 ua tempestas, noctibus & secreto, consciis tantum uir-
 ginibus Dei, quæ in matris & auia comitatu erant, nun-
 quam eam linteamine, nunquã plumarum usam molli-
 tie, sed cilicium in nuda humo habuisse pro stratu:
 iugibus faciem rigasse lacrymis: saluatoris mente genu-
 bus aduolutam, ut suum reciperet propositum, ut im-
 pleret desiderium, ut auia animum matrisque molliret.
 Quid ultra differo? Cum iam nuptiarum appropinqua-
 ret dies, & futuro matrimonio thalamus pararetur: se-
 creto & absque arbitris, noctemque habens pro sola-
 tio, talibus fertur se armasse consiliis. Quid agis Deme-
 trias? cur pudicitiam tanto pauore defendis? Liberta-
 te opus est, & audacia. quæ sic in pace metuis, quid fa-
 ceres in martyrio perpetrando? Quæ tuorum uultum
 ferre non potes, quo modo sustineres tribunalia perse-
 cutorum? Si te uirorum exempla non prouocant, hor-
 tetur, faciatque securam beata martyr Agnes, quæ &
 ætatem uicit, & tyrannum, & titulum castitatis mar-
 tyrio consecrauit. Nescis misera, nescis cui uirginitatē
 tuam

Hest. 14.

1. Cor. 11.

Phil. 44.

Gen. 37.

1. Cor. 11.

Phil. 44.

11. dicitur

1. Reg. 1.

1. Mach. 2.

1. Mach. 2.

1. Mach. 2.

1. Mach. 2.

psalms

tuam debeas. dudum inter barbaras tremuisti manus,
 auia matrisque sinu, & palliis tegebaris. uidisti te ca-
 ptiuam, & pudicitiam tuam non tuæ potestatis: hor-
 ruisti truces hostium uultus: raptas uirgines Dei, ge-
 mitu tacito conspexisti. urbs tua quondam orbis caput,
 Romani populi sepulcrum est, & tu in Libyco littore,
 exulem uirum exul ipsa accipies? quam habitura pro
 nubam? quo deducenda comitatu? Stridor linguæ Pu-
 nicæ procacia tibi Fescennina cantabit. rumpe moras
 omnes. perfecta Dei dilectio foras mittit timorem. Assu-
 me scutum fidei, loricam iustitiæ, galeam salutis, proce-
 de ad prælium. habet & seruata pudicitia martyrium
 suum. Quid metuis auiam? quid formidas parentem?
 forsitan & ipsæ uelint, quod te uelle non credunt. His
 inflammata stimulis, omnem corporis cultum, & habi-
 tum sæcularem, quasi propositi sui impediméta, proie-
 cit. pretiosa monilia, & graues censibus uniones, ar-
 dentesque gemmæ redduntur scriniis: uili tunica in-
 duitur, uiliori tegitur pallio: & insperata auia genu-
 bus repête prouoluitur, fletu tantum & planctibus quæ
 esset ostendit. Obstupuit sancta & grauis femina, alie-
 num habitum in nepte conspiciens. mater gaudio sta-
 bat attonita. utraque uerum nõ credere, quod uerum
 esse cupiebat. Hæsit uox faucibus, & inter ruborẽ atq;
 pallorem, metumque atque lætitiã, cogitationes ua-
 riæ nutabant. Succumbendum est huic loco: neque nar-
 rare aggrediar, quod dicendo minus faciam. Ad expli-
 candam incredibilis gaudii magnitudinem & Tulliani
 fluuius siccaretur ingenii, & contortæ Demosthenis, ui-
 bratæque sententiæ, tardius languidiusque ferrentur.
 quidquid potest cogitare animus, quidquid sermo
 potest

potest explicare, illo in tempore factum est. Certatim in oscula neptis, & filia, mater & auia ruunt. ubertim flere præ gaudio, iacentem manu attollere, amplexarique trepidantem: agnoscere in illius proposito mentem suam, & gratulari, quòd nobilem familiam uirgo uirginitate sua nobiliorem faceret. inuenisse eam quòd præstaret generi, quòd Romanæ urbis cineres mitigaret. Iesu bone, quid illud in tota domo exultationis fuit? Quasi ex radice fecunda, multæ simul uirgines pulularunt: exemplumque patronæ & dominæ secuta est clientum turba, atque famularum. Per omnes domos feruebat uirginitatis professio: quarum cum impar esset in carne conditio, unum erat præmium castitatis. Parum loquor. cunctæ per Africã ecclesiæ quodam exultauere tripudio. non solum ad urbes, oppida, uiculosque, sed ad ipsa quoque magalia, celebris fama penetrauit. omnes inter Africam Italiamque insulæ hoc rumore completæ sunt, & inoffenso pede longius gaudia cucurrere. Tunc lugubres uestes Italia mutauit, & femiruta urbis Romæ moenia pristinum ex parte receperè fulgorem, propitium sibi existimantes Deum, in alumna conuersione perfecta. Putares extinctam Gothorum manum, & colluuiem perfugarum atque seruorum Domini desuper intonantis fulmine concidisse. Non sic post Trebiam, Thrasymenum, & Cannas, in quibus locis Romanorum exercituum cæsa sunt millia, Marcelli primum apud Nolam prælio, se populus Romanus erexit. Minori prius gaudio strata Gallorū agmina, auro redempta nobilitas, & seminarium Romani generis in arce cognouit. Penetrauit hic rumor orientis littora, & in mediterraneis quoque urbibus, Christianæ

stianæ gloriæ triumphus auditus est . quæ uirginum
 Christi non huius se societate iactauit ? quæ mater nõ
 tuum Iuliana beatum clamauit uterum ? Incerta apud
 infideles sint præmia futurorum . plus interim recepisti
 uirgo , quàm obtulisti . quam sponsam hominis una
 tantum prouincia nouerat , uirginem Christi totus or-
 bis audiuit . Solent miseri parentes , & non plenæ fidei
 Christiani , deformes , & aliquo membro debiles filias ,
 quia dignos generos non inueniunt , uirginitati trade-
 re . tanti , ut dicitur , uitrum , quanti margaritũ ? Cer-
 te qui religiosiores sibi uidentur , paruo sumptu , & qui
 uix ad alimenta sufficiat , uirginibus dato , omnem cen-
 sum in utroque sexu , sæcularibus liberis largiuntur .
 Quod nuper in hac urbe diues quidam fecit presbyter ,
 ut duas filias in proposito uirginali inopes relinqueret ,
 & aliorum ad omnem copiam filiorum , luxuriæ , atque
 deliciis prouideret . Fecerunt hoc multæ , pro dolor , no-
 stri propositi feminæ ; atque utinam rarum esset exem-
 plum ; quod quanto crebrius est , tanto istæ feliciores ,
 quæ ne plurimarum quidem exempla secutæ sunt . Fer-
 tur , & omnium Christianorum laude celebratur , quid-
 quid fuerat nuptiis præparatum , a sancta Christi Sino-
 ride uirgini traditum , ne sponso fieret iniuria , immo
 ut dotata pristinis opibus ueniret ad sponsum ; & quod
 in rebus mundi perituum erat , domesticorum Dei su-
 stentaret inopiã . Quis hoc credat ? Proba illa omnium
 dignitatum , & cunctæ nobilitatis in orbe Romano no-
 men illustrius , cuius sanctitas , & in uniuersos effusa bo-
 nitas , etiam apud barbaros uenerabilis fuit , quam triũ
 liberorum , Prohini , Olibrii , & Probi , nõ fatigarunt or-
 dinarii consulatus , & cū incensis direptisque omnibus ,

D I V I H I E R O N Y M I

in urbe captiuitas sit, nunc habitas uenundare dicitur possessiones, & facere sibi amicos de iniquo mammona, qui se recipiant in æterna tabernacula, ut erubescat omnis ecclesiastici ministerii gradus, & cassa nomina monachorum emere prædia, tanta nobilitate uendente. Vix barbarorum effugerat manus, & auulsas de complexu suo uirgines fleuerat, cū subito intolerabili, quod nunquam timuerat, amantissimi filii orbitate percutitur, & quasi futura uirginis Christi auia, spe futurorum mortiferum uulnus excepit, probans in se uerum esse, quod in lyrico carmine super iusti præconio dicitur: Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinae. Legimus in uolumine Iob: Adhuc isto loquēte, uenit alius puntius. et in eodem: Tentatio, siue, ut melius habetur in Hebræo, militia, est uita hominis super terram. ad hoc enim laboramus, & in sæculi huius periclitamur militia, ut in futuro sæculo coronemur. Nec mirum hoc de hominibus credere, cum Dominus ipse tentatus sit. et de Abraam scriptura testatur, quòd Deus tentauerit eum. Quam ob causam & Apostolus loquitur: Gaudentes in tribulatione, & scientes, quòd tribulatio patientiam operatur: patientia, probationem: probatio, spem: spes autem non confundit. et in alio loco: Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oues occisionis. et Esaias huiuscemodi homines cohortatur, dicens: Qui ab lactati estis a lacte, qui auulsi ab ubere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad

Iob. 1.
Iob. 7.

Gen. 22.
Rom. 5.

Rom. 8.

ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Cur ista replicauerim, sequens sermo monstrabit. Quæ de medio mari fumantem uiderat patriam, & fragili cymbæ salutem suam, suorumq; commiserat, crudeliora inuenit Africæ littora. excipitur enim ab eo, quem nescias utrum auarior, an crudelior fuerit: cui nihil dulce præter uinum, & pretium: & qui sub occasione partiû clementissimi principis, sæuissimus omnium extitit tyrannorum, & (ut aliquid loquar de fabulis poetarû) quasi Orcus in tartaro, non tricipitem, sed multorum capitum habuit Cerberû, qui cuncta traheret ac laceraret. Hic matrum gremiis abducere pactas; negotiatoribus, & auidissimis mortalium Syris nobilium puellarum nuptias uendere; non pupillarum, non uiduarum, non uirginum Christi inopiæ parcere; magisque manus rogantium spectare, quàm uultus. Hanc ferâ Charybdim, Scyllamq; succinctam multis canibus fugiens barbaros matrona sustinuit, qui nec naufragiis parcerent, nec captiuitatibus flecterentur. Imitare crudelis saltem hoste Romani Imperii. Brennus nostri temporis tantû quod inuenerat tulit: tu quæris quod non inuenis. Et mirantur æmuli (uirtus enim semper inuidiæ patet) cur tantarum secum pudicitiam tacita proscriptione mercata sit, cum & ille partem dignatus sit accipere, qui totum potuit auferre: & hæc quasi comiti negare non ausa sit, quæ se intelligebat sub nomine priuatæ dignitatis tyranno seruientem? Sentio me inimicorû patere morsibus, quòd adulari uidear nobilissimæ, & clarissimæ seminæ, qui accusare non poterunt, si me scierint hucusque tacuisse. neque enim laudauim in ea unquam antiquitatè generis, diuitiarum & potentia magnitudinem uiro

D I V I H I E R O N Y M I

uiuente, uel mortuo, quæ alii forſitan mercennaria oratione laudauerunt. mihi propositum eſt ſtilo eccleſiaſtico laudare auiam uirginis meæ, & gratias agere, quòd uoluntatem eius, ſua adiuuerit uoluntate. alioqui cellula monaſterii, uilis cibus, ueſtiſque contempta, & ætas uicina iam morti, breuiſq; temporis uiaticum, carent omni aſſentationis infamia. Denique in reliquis partibus omnis mihi ſermo ad uirginem dirigetur, & uirginem nobilem, & nobilem nõ minus ſanctitate, quàm genere: cuius quanto ſublimior aſcenſus eſt, tanto lapſus periculoſior. Vnũ illud tibi nata Deo, præque omnibus unum prædicã, & repetens, iterumq; iterumq; monebo, ut animũ tuum ſacræ lectionis amore occupes, nec in bona terra pectoris tui ſementem lolii, auenarumque ſuſcipias: ne dormiente patrefamilias, qui eſt uoũs, id eſt, animus Deo ſemper adhærens, inimicus homo zizania ſuperſeminet, ſed ſemper loquaris: In noctibus quæſiui quem dilexit anima mea: Vbi paſcis, ubi cubas in meridie? &, Inhæſit poſt te anima mea, me ſuſcepit dextera tua. illudque Hieremiæ: Nõ laboraui ſequens te, neque enim eſt dolor in Iacob, nec labor in Iſrael. quando eras in ſæculo, ea quæ erant ſæculi diligebas. Polire faciem purpurifſo, & ceruſſa ora depingere, ornare crinem, & alienis capillis turritum uerticem ſtruere, ut taceam de inaurium pretiis, candore margaritarum, rubri maris profunda teſtantium, ſmaragdorum uirore, cerauniorum flammis, hiacynthorum pelago, ad quæ ardent, & infaniunt ſtudia matronarum. Nunc autem quia ſæculum reliquiſti, & ſecundo poſt baptiſmum gradu, iniſti pactum cum aduerſario tuo, dicēs ei: Renuntio tibi diabole, & ſæculo tuo, & pom-

Cant. 3.
Cant. 1.
Pſal. 62.
Hiere. 17.

& pompæ tuæ, & opibus tuis : serua foedus quod pepigi-
 gisti, & esto consentiens, pactumque custodiens cum
 aduersario tuo, dum es in uia huius sæculi, ne forte tra-
 dat te iudici, & de suo aliquid usurpasse conuincat : tra-
 darisque ministro, qui ipse est & inimicus, & uindex,
 & mittaris in carcerem, & in tenebras exteriores; quæ
 quanto a Christo uero lumine seperamur, tãto nos ma-
 iori horrore circundant; & non inde exeas, nisi soluas
 nouissimum quadrantem, id est, minimum quodque
 delictum; quia & pro otioso uerbo redditori sumus rati-
 onem in die iudicii. Hæc dicta sint, non infausto con-
 tra te uaticinio, sed pauidi cauti que monitoris officio:
 ea quoque in te, quæ tuta sunt, formidantis. Si spiritus,
 inquit, potestatem habentis ascenderit super te, locum
 tuum ne dimiseris. quasi in procinctu, & in acie sta-
 mus semper ad pugnam. uult nos loco mouere hostis,
 & de gradu decedere; sed solidanda uestigia sunt, & di-
 cendum: Statuit super petram pedes meos. & Petra re-
 fugium leporibus. pro quo multi Herinaceos legunt:
 Herinaceus animal paruum, & fugax, & spinarum sen-
 tibus prægrauatum. Sed ideo Iesus spinis coronatus est,
 & nostra delicta portauit, & pro nobis doluit, ut de sen-
 tibus & tribulationibus feminarum, ad quas dicitur: In
 anxietatibus, & doloribus paries mulier, & ad uirum
 conuersio tua, & ipse tui dominabitur: rosa uirginita-
 tis, & lilia castitatis nascerentur. Vnde & sponsus pasci-
 tur inter lilia, & inter eos, qui uestimenta sua non co-
 inquinauerunt: uirgines enim permanserunt, audie-
 runtque præceptum: Candida sint semper uestimenta
 tua, & quasi auctor uirginitatis & princeps, loquitur cõ-
 fidenter: Ego flos campi, & lilium conuallium. Petra
 igitur

Matth. 5.

Eccl. 10.

Pfal. 39.

Pfal. 103.

Gen. 3.

Cant. 2.

Apocal. 3. 14.

Eccl. 9.

Cant. 2.

D I V I H I E R O N Y M I

Pfal. 141.
Ecl. 11.

Ecc. 10.

Pfal. 18.

Exod. 20.
Deut. 5.

Amos 1.

igitur leporum est, qui in persecutionibus de ciuitate
fugiunt in ciuitatem. nec timent illud propheticum :
Periit fuga a me. Montes autem excelsi ceruis, quorum
colubri cibus sunt, quos educit puer paruulus de fora-
mine, quando pardus & hædus requiescunt simul : &
bos & leo comedunt paleas, ut nequaquam bos discat
feritatem, sed leo doceatur mansuetudinem. Reuerta-
mur ad propositum testimonium. Si spiritus potestaté
habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.
post quod sequitur : Quia curatio quiescere facit pecca-
ta maxima. qui uersiculus hunc habet sensum : Si in co-
gitationes tuas coluber ascenderit, omni custodia ser-
ua cor tuum. et cum Dauid canito : Ab occultis meis
munda me Domine ; & ab alienis parce seruo tuo, & ad
peccatum maximum, quod opere perpetratur, nequa-
quam peruenies, sed incentiua uitiorum statim in men-
te iugulabis, & paruulos Babylonis allides ad petram ;
in qua serpentis uestigia non reperiuntur ; cauteq; Do-
mino promittes : Si mei non fuerint dominati, tunc im-
maculatus ero, & emundabor a delicto maximo. Hoc
est quod alibi scriptura testatur : Peccata patrum reddā
in filios, in tertiam & quartam generationem, ut cogi-
tationes nostras, mentisque decretum, non statim pu-
niat, sed reddat in posteris, id est, in malis operibus,
& in delictorum perseuerantia, quoniam per Amos lo-
quitur : Super tribus, & quattuor impietatibus illius,
& illius ciuitatis, nonne auerfabor eam ? Hæc cursim
quasi de prato pulcherrimo sanctarum scripturarū, pa-
uos flores carpisse sufficiat pro commonitione tui, ut
claudas cubiculum pectoris, & crebro signaculo crucis
munias frontem tuam, ne exterminator Aegypti in te
locum

DE VIRGINITATE. 56

locum reperiat, sed primogenita, quæ apud Aegyptios
 pereunt, in tua mente saluentur, & dicas cum prophe-
 ta: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: can- P^{sal.} 56.
 tabo & psallam. Exurge gloria mea, exurge psalterium
 & cithara. quam assumere iubetur & Tyrus, multis pec- E^{l.} 23.
 catorum confossa uulneribus, ut agat pænitentiam, &
 maculas pristinae foeditatis cum Petro amaris abluat la-
 crymis. Verum nos ignoremus pænitentiam, ne faci-
 le peccemus. illa quasi secunda post naufragium mise-
 ris tabula fit: in uirgine integra seruetur nauis. aliud
 est quærere quod perdideris; aliud possidere quod nū-
 quam amiseris. Vnde & Apostolus castigabat corpus I. Cor. 9.
 suum, & in seruitutē redigebat, ne aliis prædicans, ipse
 reprobus inueniretur; corporisque, ex persona gene-
 ris humani inflammatus ardoribus, loquebatur: Miser Rom. 7.
 ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?
 & iterum: Scio quia non habitat in me, hoc est in car-
 ne mea bonum: Velle enim adiacet mihi, ut faciam au-
 tem bonum, nequaquam. Neque enim quod uolo bo-
 num, sed quod nolo malum, hoc facio. et denuo: Qui Rom. 8.
 in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem nō
 estis in carne, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habi-
 tat in uobis. Post cogitationum diligentissimam cautio-
 nem, ieiuniorum tibi arma sumenda sunt, & canendum
 cum Dauid: Humiliaui in ieiunio animam meam. et, P^{sal.} 34.
 Cinerem tanquam panem manducaui. et, Cum mole- P^{sal.} 101.
 sti erant mihi, induebar cilicio. Eua per cibum eiecta P^{sal.} 34.
 est de paradiso. Helias quadraginta dierum exercitatus
 ieiunio, igneo curru rapitur in cælum. Moyses quadra-
 ginta diebus ac noctibus, familiaritate, & sermone Dei
 pascitur, in se uerissimum probans quod dicitur, Non
 in

- Matth. 4. in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei. Saluator generis humani, qui uirtutum, & conuersationis suæ nobis reliquit exemplum,
- Matth. 4. post baptismum statim assumitur a spiritu, ut pugnet contra diabolum, & oppressum eum, atque contritum, tradat discipulis conculcandum. Vnde & Apostolus loquitur: Deus autem conteret fatanam sub pedibus uestris uelociter. Et tamen hostis antiquus post quadraginta dierum ieiunium, per cibum molitur insidias, & dicit: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. In lege, mense septimo post clangorem tubarum, decimo die mensis, totius gentis Hebrææ ieiunium est, & exterminatur anima illa de populo suo, quæ saturitatem prætulit continentia. In Iob scriptum est de dracone: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius super umbilicum uentris eius. Aduersus iuuenes & puellas, ætatis ardore hostis noster abutitur, & inflammat rotã natiuitatis nostræ, & implet illud Osee: Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum, quæ Dei misericordia, & ieiuniorum rigore restinguuntur. Hæc sunt ignita diaboli iacula, quæ simul & uulnerant & inflãmant, & a rege Babylonio tribus pueris præparantur, qui succendit fornacem quadragintanouem cubitorum, habens & ipse septem hebdomas ad perditionem, quas Dominus obseruari iusserat ad salutem. Sed quo modo ibi quartus, speciem habens quasi filii hominis, imensos mitigauit ardores, & inter camini æstuantis incendium docuit flammam calorem amittere, & aliud oculis comminari, aliud præbere tactui: sic & in animo uirginali, rore cælesti, & ieiuniorum rigore, calor puelaris extinguitur, & in humano corpore angelorum impetra-

impetratur conuersatio. Quamobrem & uas electionis de uirginibus se dicit Domini non habere præceptum, quia contra naturam, immo ultra naturã est, non exercere quod nata sis: interficere in te radicem tuam, & sola uirginitatis poma decerpere: nescire thorum, omnẽ uirorum horrere contactum, & in corpore uiuere sine corpore. Neque uero immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormen ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quàm sanctæ conuersationis iacere fundamenta. Philosophorum quoque sententia est *μεσότητις ἀρετῆς, ὑπερβολῆς κακίας*, quod Latinus ita potest sermo resonare, Moderatas esse uirtutes: excedentes modum atque mensuram, inter uitia deputari. unde & unus de septem sapientibus *Ἔναι μὴδὲν ἄγαν*, id est, ne quid, ait, nimis. Quod tam celebre factum est, ut comico quoque uersu expressum sit. Sic debes ieiunare, ut non palpites, & respirare uix possis, & comitum tuarũ, uel porteris, uel traharis manibus; sed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in uigiliis solito quid minus facias. Ieiunium non perfecta uirtus, sed ceterarum uirtutum fundamentum est, & sanctificatio atque pudicitia, sine qua nemo uidebit Deum, gradus præbet ad summa scandentibus: nec tamen si sola fuerit, uirginem poterit coronare. Legamus euangelium sapientium & stultarum uirginum, quarum aliæ cubiculum ingrediuntur sponsi, aliæ bonorũ operũ oleum non habentes, extinctis lampadibus excluduntur. Latus est super ieiuniis campus, in quo & nos sæpe cucurrimus, & multorum proprii habentur libri, ad quorum re mittimus lectionem, ut discas quid boni habeat

1. Cor. 7.

Heb. 12.

Matth. 25.

D I V I H I E R O N Y M I

continentia, & quid e contrario mali, saturitas. Imita-
 re sponsum tuum. esto auia, matrique subiecta. nullum
 uirorum, & maxime iuuenem, nisi cum illis, uideas.
 nullum scias, quem illi nesciant. saecularis quoque sen-
 tentia est: Eadem uelle, & eadem nolle, ea demum fir-
 ma amicitia est. Ut appeteres uirginitatem, ut Christi
 praecipua cognosceres, ut scires quid tibi expediret,
 quid eligere deberes, illarum te exempla docuerunt; san-
 cta domi instruxit conuersatio. non igitur solum tuum
 putes esse quod tuum est, sed earum, quae suam in te ex-
 pressere pudicitiam, & honorabilium nuptiarum, cubi-
 lisque immaculati pretiosissimum germinauere te flo-
 rem: qui perfectos afferet fructus, si humiliaueris te sub
 potenti manu Dei; & scriptum semper memineris: Su-
 perbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. ubi
 autem gratia, non operum retributio, sed donantis est
 largitas; ut impleatur dictum Apostoli: Non est uolen-
 tis, neque currentis, sed miserentis Dei. et tamen uel-
 le & nolle nostrum est: ipsumque quod nostrum est, si-
 ne Dei miseratione nostrum non est. Eunuchorum quo-
 que tibi, & puellarum, ac seruulorum magis mores eli-
 gantur, quam uultuum elegantia, quia in omni sexu, &
 aetate, & truncatorum corporum uiolenta pudicitia, ani-
 mi considerandi sunt, qui amputari, nisi Christi timo-
 re non possunt. scurrilitas atque lasciuia, te praesente
 non habeat locum. nunquam uerbum inhonestum au-
 dias, aut si audieris, non inhæseris. Perditæ mentes ho-
 minum uno frequenter, leuique sermone tentant clau-
 stra pudicitiae. ridere & rideri saecularibus derelinque.
 grauitas tuam personam decet. Catonem quoque,
 illum dico Censorium, & uestrae quondam urbis
 principem,

Iacobi 4.
 1. Petr. 5.

Rom. 9.

principem, qui in extrema ætate Græcās litteras nec erubuit censor, nec desperauit senex discere: et M. Crassum semel in uita scribit risisse Lucilius. Fuerit illa affectata seueritas, & gloriam quærens, auramque popularē, nos affectus & perturbationes, quàm diu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circundamur, moderari & regere possumus, amputare nõ possumus. unde & Psalmista dicit: Irascimini, & nolite peccare. Quod Apostolus edisserens: Sol, inquit, non occidat super iracundiam uestram, quia & irasci hominis est, & finem iracundiæ imponere Christiani. Superfluum reor te monere contra auaritiam, cum generis tui sit, & habere & calcare diuitias; & Apostolus doceat auaritiam esse idolorum cultum: Dominusq; respondeat sci scitanti: Magister bone, quid boni faciens, uitam æternam possidebo? Si uis esse perfectus, uade uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & ueni sequere me. Apostolici fastigii est, perfectæque uirtutis, uendere omnia, & pauperibus distribuere; & sic leuem, atque expeditum, cum Christo ad cælestia subuolare. nobis, immo tibi, diligens credita est dispensatio; quanquam in hoc, omni ætati, omni-que personæ, libertas arbitrii relicta sit. Si uis, inquit, esse perfectus: Non cogo, non impero, sed propono palmam, ostendo præmia, tuum est eligere, si uolueris in agone atque certamine coronari. Et consideremus quàm sapienter sapientia sit locuta: Vende quæ habes. Cui ista præcipiuntur? nempe illi, cui dictum est: Si uis esse perfectus. Non partem bonorum tuorum uende, sed omnia. cumque uendideris, quid sequitur? Et da pauperibus. non diuitibus, non propinquis, non

Psal. 4.

Eph. 4.

Colo ff. 3.

Matth. 19.

ad luxuriam, sed ad necessitatem. siue ille sacerdos siue cognatus sit, & affinis, nihil in illo aliud consideres, nisi paupertatem. laudent te esurientium uiscera, non ructantium opulenta conuiuia. In actis Apostolorum, quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, uendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, ut ostenderent pecunias esse calcandas; dabaturque singulis, prout cuique opus erat. Ananias & Saphyra dispensatores timidi, immo corde duplici, & ideo condemnati, quia post uotū obtulerunt quasi sua, & non eius, cui semel ea uouerant, partemq; sibi alienæ substantiæ referuarunt, metuentes famem, quam uerâ fides non timet, præsentē meruere uindictā, non crudelitatem sententiæ, sed correptionis exemplo. Denique & apostolus Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, ut stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei iudicium prophético spiritu annuntiat, ut pœna duorum hominum sit doctrina multorum. Ex eo tempore, quo uirginitati perpetuæ consecrata es, tua, non tua sunt, immo uere tua, quia Christi esse cœperunt, quæ auia uiuente, uel matre, ipsarum arbitrio dispensanda sunt. Sin autem obierint, & somno sanctorum requieuerint, (scio enim & illas hoc optare, ut te habeant superstitem) cum ætas maturior fuerit, & uoluntas grauior, firmiorque sententia, facies quod tibi uisum fuerit, immo quod Dominus imperat; scitura nihil te habiturâ, nisi quod in bonis operibus erogaueris. Alii ædificent ecclesias, uestiant parietes marmorum crustis, columnarum mœles aduehant, earumque dearent capita, pretiosum ornatum non sentientia, ebore argentoque ualuas, & gemmis

gemmis aurata distinguant altaria . non reprehendo , non abnuo . unusquisque in sensu suo abundent ; meliusque est hoc facere , quàm repositis opibus incubare . sed tibi aliud propositum est ; Christum uestire in pauperibus , uisitare in languentibus , pascere in esurientibus , suscipere in iis , qui tecto indigent , & maxime in domesticis fidei , uirginum alere monasteria , seruorum Dei , & pauperum spiritu habere curam , qui diebus , & noctibus seruiunt Domino tuo , qui in terra positi imitantur angelorum conuersationem , & nihil aliud loquuntur , nisi quod ad laudes Dei pertinet ; habentesq; uictum & uestitum his contenti sunt , his gaudent diuitiis , qui plus habere nolunt , si tamen seruant propositum . alioqui si amplius desiderant , iis quoque , quæ necessaria sunt , probantur indigni . Hæc ad uirginem diuitem , & uirginem nobilem sum locutus .

Nunc tantum ad uirginem loquar , id est , non ea quæ extra te , sed in te sunt , tantum considerans . Præter psalmorum & orationis ordinem , quod tibi hora tertia , sexta , nona , ad uersperum , media nocte , & mane semper est exercendum , statue quot horis sanctam scripturam ediscere debeas , quanto tempore legere , non ad laborem , sed ad delectationem & instructionem animæ . cumque hæc finieris spatia , & frequenter te ad figenda genua sollicitudo animæ suscitauerit , habeto lanam semper in manibus , uel staminis pollice fila deducito , uel ad torquenda subtegmina in alucolis fusa uertantur ; aliarumque neta , aut in globum collige , aut texenda compone . quæ texta sunt , inspice , quæ errata , reprehende , quæ facienda , constitue . Si tantis operum uarietatibus fueris occupata , nunquam tibi dies
longi

Pfal. 13.

Rom. 1.

longi erunt, sed quamuis æstiuus tendantur solibus, breues uidebuntur, in quibus aliquid operis prætermissum est. Hæc obseruans, & teipsam saluabis, & alias, & eris magistra sanctæ conuersationis, multarumque castitatem, lucrum tuum facies, scriptura dicente: In desideriiis est omnis anima otiosi. Nec idcirco tibi ab opere cessandum est, quia Deo propitio nulla re indiges: sed ideo cum omnibus laborandum est, ut per occasionem operis, nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet seruitutem. simpliciter loquar. Quamuis omnem censum tuum in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius, nisi quod manibus tuis ipsa conferis, uel in usus proprios, uel in exemplum uirginum ceterarum, uel quod auia, matrique offeras, maiora ab eis in refectiorem pauperum pretia receptura. Pæne præterii, quod uel præcipuum est. Dum esses paruula, & sanctæ, ac beatæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de orientis partibus hæreticorum sæua tempestas, simplicitatem fidei, quæ Apostoli uoce laudata est, polluere & labefactare conata est: sed uir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium perculit caput, & sibilantia hydræ ora conpescuit. Et quia uereor, immo rumore cognoui, in quibusdam adhuc uiuere & pullulare uenenata plantaria, illud te pio caritatis affectu præmonendam puto, ut sancti Innocentii, qui apostolicæ cathedræ, & su prædicti uiri successor, & filius est, teneas fidem: nec peregrinam, quamuis tibi prudens, callidaque uidearis, doctrinam recipias. solent enim huiuscemodi per angulos mustitare, & quasi iustitiam quærere: Cur illa anima in illa est nata prouincia? quid causæ extitit, ut alii

alii de Christianis nascantur parentibus, alii inter feras & sæuissimas nationes, ubi nulla Dei notitia est? cumq; hoc quasi scorpionis ictu simplices quosque percusserint, & fistulato uulnere, locum sibi fecerint, uena diffundunt. Putas ne frustra infans paruulus, & qui uix matrem risu, & uultus hilaritate cognoscat, qui nec boni aliquid fecit nec mali, dæmone corripitur, morbo opprimitur regio, & ea sustinet, quæ uidemus impios homines non sustinere, & sustinere Deo seruietes? Sin autem iudicia, inquit, Domini uera, iustificata in semetipsis, & nihil apud Deum iniustum est, ipsa ratione compellimur, ut credamus animas fuisse in cælestibus, & propter quædam antiqua peccata damnatas in corporibus humanis, & ut ita loquamur, sepultas, nosque in ualle lacrymarum pœnas luere ueterum peccatorum. unde & propheta dicit: Priusquã humiliarer ego peccaui. et, Educ de carcere animam meam. et, Ille peccauit, ut cæcus ex utero nasceretur, an parentes eius? & cætera his similia. Hæc impia & scelerata doctrina olim in Aegypto, & in orientis partibus uersabatur, & nunc abscondite, quasi in foueis uiperarum, apud plerosque uersatur: illarumque partium polluit puritatem, & quasi hæreditario malo serpit in paucis, ut perueniat ad plurimos. quam certus sum, quod si audieris, non recipias. habes enim apud Deum magistras, quarum fides norma doctrinæ est. intelligis quid loquar. Dabit enim tibi Deus in omnibus intellectum. Nec statim aduersum sæuissimam hæresim, & multo iis nequiora, quæ dixi, responsionem hominis flagitabis: ne non tam prohibuisse uidear, quàm commonuisse: cum præsentis operis sit instituire uirginem

Pfal. 118.

Pfal. 141.

Ioan. 9.

D I V I H I E R O N Y M I

nirginem, non hæreticis respondere. ceterum omnes fraudulentias eorum, & cuniculos, quibus nituntur subuertere ueritatem, in alio opere, Deo adiuuante, subuertimus. quod si uolueris, prompte libenterque mittemus: Vltroneas enim, aiunt, putere merces, & pretia facilitate decrescunt, quæ semper in raritate maiora sunt. solet inter plerosque esse certamen, utrum solitaria, an cum multis uita sit melior: quarum prior præfertur quidem secundæ; sed si in uiris periculosa est, ne abstracti ab hominum frequentia, sordidis & impiis cogitationibus pateant, & pleni arrogantia ac supercilii cunctos despiciant, armentque linguas suas, uel clericis, uel aliis monachis detrahendo: de quibus rectissime dicitur, Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus: quanto magis in feminis, quarum mutabilis fluctuansque sententia, si suo arbitrio relinquatur, cito ad deteriora delabitur? Noui ego in utroque sexu per nimiam abstinentiam cerebri sanitatem quibusdam fuisse uexatam; præcipueq; in iis, qui in humectis & frigidis habitauere cellulis; ita ut nescirent quid agerent, quo ue se uerterent; quid loqui, quid tacere deberent. Certe si rudes sæcularium litterarum de tractatibus hominum disertorum quippiam legerint, uerboositatem solam discunt, absque notitia scripturarum: & iuxta uetus elogium: cum loqui nesciant, tacere non possunt: docentque scripturas, quas non intelligunt; & cum aliis persuaserint, eruditorem sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorem discipuli. Bonum est igitur obedire maioribus, parere perfectis, & post regulas scripturarum, uitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore

Psal. 65.

præceptore uti pessimo, scilicet præsumptione sua. De talibus feminis & Apostolus loquitur: Quæ circumferuntur omni uento doctrinæ, semper discentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes. Matronarū, maritis ac sæculo seruientium, tibi consortia declinentur, ne sollicitetur animus, & audias, quid uel maritus uxori, uel uxor locuta sit uiro. uenenatæ sunt huiusmodi confabulationes. super quarum damnatione, sæcularem uersum assumens Apostolus, fecit ecclesiasticum: Corruptunt mores bonos confabulationes pessimæ. cuius Iambici metrum, dum uerbum seruat ex uerbo, nequaquam expressit latina translatio. Graues feminæ, & maxime uiduæ, ac uirgines, tibi comites eligantur, quarum probata est conuersatio, sermo moderatus, sancta uerecundia. fuge lasciuiam puellarum, quæ ornant capita, crines a fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, astrictas habent manicas, uestimēta sine ruga, soccosq; crispantes, ut sub nomine uirginali uendibilius pereant. mores enim & studia dominarum plerunque ex ancillarum, & comitum moribus iudicantur. illa sit tibi pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedēs ad publicum, non pectus & colla denudat, nec pallio reuoluto ceruicem aperit, sed quæ cælat faciem, & uix uno oculo, qui uia necessarius est, patente, ingreditur. Dubito an loquar, sed uelim nolim, quia crebro fit, dicendum est, non quo hæc in te timere debeam, quæ ista forsitan nescias, nec unquam audieris, sed quo per occasionem tui ceteræ præmonendæ sint. Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas,

1. Cor. 1.

D. I. V. I. H I E R O N Y M I

liculas, de quibus illud Arbitri est: Non bene olet, qui bene semper olet: quasi quasdam pestes & uenena pudicitiae uirgo deuitet: ut taceam de ceteris, quarum importuna uisitatio, & se infamat, & alias: ut etiam si nihil mali operis perpetretur, tamen hoc fit uel maximum malum, frustra patere maledictis & morsibus ethnicorum. Nec hoc de omnibus dicimus, sed de iis, quos Ecclesia ipsa reprehendit, quos interdum abiicit, in quos nonnunquam episcoporum & presbyterorum censura defauit, ut prope periculosius sit lasciuis puellis ad loca religionis, quam ad publicum procedere. quae uiuunt in monasterio, & quarum simul magnus est numerus, nunquam solae, nunquam sine matre procedant. De agmine columbarum crebro accipiter una separat, quam statim inuadat & laceret, cuius carnibus & cruore saturetur. morbidae oues suum relinquunt gregem, & luporum faucibus deuorantur. Scio ego sanctas uirgines, quae diebus festis, propter frequentiam populorum, pedem domi cohibent, nec tunc egrediuntur, quando maior est adhibenda custodia, & publicum penitus deuitandum. Ante annos circiter triginta, de uirginitate seruanda adidi librum, in quo necesse mihi fuit ire contra uitia, & propter instructionem uirginis, quam monebam, diaboli insidias patefacere. qui sermo offendit plurimos, dum unusquisque in se intelligens quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audiuit, sed quasi criminatorem sui operis auerfatus est. Veruntamen quid profuit armasse exercitum reclamantium, & uulnus conscientiae dolore monstrasse? liber manet, homines praeterierunt. Scripsi & ad plerasque uirgines ac uiduas *σου δόματα*, & quidquid dici

dici poterat, in illis opusculis defloratū est, ut aut superfluo eadem a nobis repetantur, aut nunc prætermiffa, plurimum noceant. Certe & beatus Cyprianus egregium de uirginitate uolumen ædidi, & multi alii, tam Latino sermone quàm Græco. omniumq; gentium litteris, atque linguis præcipue in ecclesiis Agnes uita laudata est. sed hoc ad eas pertineat, quæ necdum elegerunt uirginitatem, & exhortatione indigent, ut sciant quale sit, quod eligere debeant. nobis electa seruanda sunt, & quasi inter scorpiones, & colubros incedende terra tua; & sic uirginitatem, inquit Chaldaeos: qui quasi dæmonia interpretantur: & habitat in regione uiuentium, quam alibi propheta suspirat, dicēs: Credo uidere bona domini in terra uiuentium. Verum non sufficit tibi exire de terra tua, nisi obliuiscaris populi tui, & domus patris tui, ut carne contempta, sponsi iungaris amplexibus. Ne respexeris, inquit, retro: nec steteris in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne forte comprehendaris. non expedit apprehenso aratro, respicere post tergum, nec de agro reuertī domum, nec post Christi tunicam, ad tollendum aliud uestimentum tecto descendere. Grande miraculum: pater filiam cohortatur, ne meminerit patris sui. Vos de patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere, dicitur ad Iudæos. et alibi: Qui facit peccatum, de diabolo est. tali primum parente generati nigri sumus, & post pænitentiam, necdum culmine uirtutis ascenso, dicimus: Nigra sum, sed speciosa filia Hierusalem. Exiui de domo infantia: oblita sum patris mei, renascor in Christo. Quid pro hoc mercedis accipio? sequitur: Et concupiscet rex decorem tuum.

Psal. 26.

Ioann. 8.

1. Ioann. 3.

Cant. 5.

D I V I H I E R O N Y M I

fuspiceris. Nonnullæ separata & absque arbitris quæ-
 runt hospitia, ut uiuant licentius, utantur balneis, fa-
 ciantq; quod uolunt, & deitent conscientias plurima-
 rum. Hæc uidemus & patimur, & si aureus nummus af-
 fulserit, inter bona opera deputamus. Finem iungo
 principio, nec semel monuisse contentus sum: Ama
 scripturas sanctas, & amabit te sapientia: dilige eam,
 & seruabit te: honora illam, & amplexabitur te. hæc
 monilia in pectore, & in auribus tuis hæreant. nihil
 aliud nouerit lingua, nisi Christum. nihil possit sona-
 lis ad loca religionis, quam ^{Aræ publicæ} ~~Aræ publicæ~~ procedere.
 quæ uiuunt in monasterio, & quarum simul magnus
 est numerus, nunquam solæ, nunquam sine matre pro-
 cedant. De agmine columbarum crebro accipiter unâ
 separat, quam statim inuadat & laceret, cuius carni-
 bus & cruore faturetur. morbidæ oues suum relinquunt
 gregem, & luporum faucibus deuorantur. Scio ego
 sanctas uirgines, quæ diebus festis, propter frequen-
 tiâ populorum, pedem domi cohibent, nec tunc egre-
 diuntur, quando maior est adhibenda custodia, & pu-
 blicum penitus deuitandum. Ante annos circiter tri-
 ginta, de uirginitate seruanda ædidi librum, in quo ne-
 cesse mihi fuit ire contra uitia, & propter instructionem
 uirginis, quam monebam, diaboli insidias patefacere.
 qui sermo offendit plurimos, dum unusquisque in se
 intelligens quod dicebatur, non quasi monitorem li-
 benter audiuit, sed quasi criminatorem sui operis auer-
 satus est. Veruntamen quid profuit armasse exercitum
 reclamantium, & uulnus conscientia dolore monstros-
 se? liber manet, homines præterierunt. Scripsi & ad
 plerasque uirgines ac uiduas *πρὸς τὰς ὀρφανὰς*, & quidquid
 dici

DIVVS HIERONYMVS AD
EVSTOCHIVM DE CVSTODIA
VIRGINITATIS.

A VDI filia & uide, & inclina aurem tuam,
& obliuiscere populum tuum, & domum
patris tui, & concupiscet rex decorem tuū.
In quadragesimoquarto psalmo Deus ad animam loqui
tur humanam, ut secundum exemplum Abraæ, exiēs
de terra sua, & de cognatione sua, relinquat Chaldaos:
qui quasi dæmonia interpretantur: & habitet in re-
gione uiuentium, quam alibi propheta suspirat, dicēs:
Credo uidere bona domini in terra uiuentium. Ve- Psal. 26.
rum non sufficit tibi exire de terra tua, nisi obliuiscaris
populi tui, & domus patris tui, ut carne contempta,
sponsi iungaris amplexibus. Ne respexeris, inquit, re-
tro: nec steteris in omni circa regione, sed in monte sal-
uum te fac, ne forte comprehendaris. non expedit ap-
prehenso aratro, respicere post tergum, nec de agro re-
uertī domum, nec post Christi tunicam, ad tollendum
aliud uestimentum tecto descendere. Grande miracu-
lum: pater filiam cohortatur, ne meminerit patris sui.
Vos de patre diabolo estis, & desideria patris uestri uul- Ioann. 8.
tis facere, dicitur ad Iudæos. et alibi: Qui facit pecca- 1. Ioann. 3.
tum, de diabolo est. tali primum parente generati ni-
gri sumus, & post pænitentiam, necdum culmine uir-
tutis ascenso, dicimus: Nigra sum, sed speciosa filia
Hierusalem. Exiui de domo infantiaæ meæ: oblita sum Cant. 5.
patris mei, renascor in Christo. Quid pro hoc merce-
dis accipio? sequitur: Et concupiscet rex decorem
tuum.

DIVI HIERONYMI

tuum . Hoc ergo illud magnum est sacramentum . Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam , & adhærebit uxori suæ , & erunt ambo , iam non , ut ibi , in una carne , sed in uno spiritu . non est sponsus tuus arrogans , non superbus , æthiopiissam duxit uxorem . statim ut uolueris sapientiam audire ueri Salomonis , & ad eum ueneris , confitebitur tibi cuncta quæ nouit , & inducet te rex in cubiculum suum , & mirum in modum colore mutato , sermo ille tibi conueniet : Quæ est ista , quæ ascendit dealbata ? Hæc idcirco domina mi Eustochium scribo : dominam quippe habeo uocare sponsam domini mei Iesu Christi , ut ex ipso principio lectionis agnosceres , non me nunc laudem uirginitatis esse dicturum , quam probasti optimam , & consecuta es : nec enumeraturum molestias nuptiarum , quomodo uterus intumescat , infans uagiat , cruciet pellex , domus cura sollicitet , & omnia , quæ putantur bona , mors extrema præcidat : habent enim & maritatæ ordinem suū , honorabiles nuptias , & cubile immaculatum : sed ut intelligeres tibi exeunti de Sodoma , timendum esse Lot uxoris exemplum . nulla in hoc libello adulatio . adulator quippe , blandus inimicus est . nulla erit rhetorici pompa sermonis , quæ te etiam inter angelos statuatur , & beatitudine uirginitatis exposita , mundum subiiciat pedibus tuis . nolo tibi uenire superbiam de proposito , sed timorem . Onusta incedis auro , latro tibi uitandus est . stadium est hæc uita mortalibus , hic contendimus , ut alibi coronemur . Nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur . Inebriatus est , inquit dominus , gladius meus in cælo , & tu pacem arbitraris in terra , quæ tribulos generat , & spinas , quam serpens comedit

Cant. 8.

Esa. 34.

comedit? Apostolus dicit. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates huius mundi, & rectores harum tenebrarum, aduersus spiritualia nequitiae in caelestibus. magnis inimicorum circundamur agminibus, hostium plena sunt omnia. caro fragilis, & cinis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus. cum autem fuerit dissoluta, & uenerit princeps mundi huius, & inuenerit in ea nihil, tunc segura audies per Prophetam: Non timebis a timore nocturno. A sagitta uolante per diem, a negotio perambulante in tenebris, ab incurfu & daemone meridiano. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt. Quod si eorum te multitudo turbauerit, & ad singula incitamenta uitiorum coeperis aestuare, & dixerit tibi cogitatio tua: quid faciemus? respondebit tibi Helisaeus: Non li timere, quia plures nobiscum sunt, quam cum illis: & orabit, & dicet: Domine aperi oculos puellae tuae, ut uideat: & apertis oculis uidebis igneum currum, qui te ad exemplum Heliae in astra sustollat, & tunc laeta cantabis: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum istum in uasis fictilibus, & concupiscit spiritus aduersus carnem, & caro aduersus spiritum, nulla est certa uictoria. Aduersarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, aliquem deuorare quaerens, circumit. Posuisti, ait Dauid, tenebras: & facta est nox. In ipsa pertransibunt omnes bestiae filuae. catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quaerant a Deo escam sibi. non quaerit diabolus homines infideles:

Ephc.6.

Psal.90.

4.Reg.6.

Psal.103.

DIVI HIERONYMI

- les : non eos , qui foris sunt , & quorum carnes rex Assyrius in olla succendit , de Ecclesia Christi rapere festinat . Escæ eius secundum Abacuc electæ sunt . Iob subuertere cupit , & deuorato Iuda , ad cribrandos Apostolos expetit potestatem . non uenit Saluator pacem mittere super terram , sed gladium . cecidit Lucifer , qui mane oriebatur : & ille qui in paradiso deliciarum nutritus est , meruit audire : Si exaltatus fueris ut aquila : inde detraham te , dicit dominus . dixerat enim in corde suo : Super sydera cæli ponam sedem meam , ero similis altissimo . unde quotidie ad eos , qui per scalam , Iacob somniantis , descendunt , loquitur Deus : Ego dixi dii estis , & filii altissimi omnes . Vos autem sicut homines moriemini , & tanquam unus de principibus cadetis . cecidit enim primus diabolus , & cum stet Deus in synagoga deorum , in medio autem deos discernat ,
- Ab. 1. 1. Cor. 3. Apostolus eis , qui dii esse desinunt , scribit : Vbi enim in uobis sunt dissensiones & æmulationes ? nonne homines estis , & secundum hominem ambulatis ? Si Apostolus uas electionis , & separatus in euangelium Christi , ob carnis aculeos & incentiua uitiorum reprimat corpus suum , & seruituti subiicit , ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur , & tamen uidet aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ , & captiuam se in lege peccati . Si post nuditatem , ieiunia , famem , carcerem , flagella , supplicia , in semetipsum reuersus exclamat : Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis huius , tu te putas securam esse de bere ? Caue quæso , ne quando & de te dicat Deus : Virgo Israel cecidit , & non est qui suscitet eam . audenter loquar : Cum omnia possit Deus , suscitare uirginem
- Abd. 1. non
- Esa. 14. non
- Psal. 81. non
- Rom. 7. non
- Am. 5. non

non potest post ruinam . ualet quidem liberare de poe-
 na , sed non uult coronare corruptam . Timeamus il-
 lam prophetiam , ne in nobis etiam compleatur . Et uir-
 gines bonæ deficient . Obserua quid dicat , & uirgines Am. 8.
 bonæ deficient , quia sunt & uirgines malæ . Qui uide-
 rit , inquit , mulierem ad concupiscendum eam , iam
 mœchatus est eam in corde suo . Perit ergo , & mente
 uirginitas . Istæ sunt uirgines malæ , uirgines carne , non
 spiritu : uirgines stultæ , quæ oleum non habentes ,
 excluduntur a sponso . Si autem & illæ , quæ uirgines
 sunt , ob alias tamen culpas , uirginitate corporum nõ
 saluantur : quid fiet illis , quæ prostituuerunt membra
 Christi , & mutauerunt templum sancti spiritus in lupa-
 nar ? illico audient : Descende , sede in terra uirgo filia
 Babylonis : sede in terra , non est solium filia Chaldaeo-
 rum : non uocaberis ultra mollis , & delicata . Accipe
 molam , mole farinam , discooperi uelamen tuum , de-
 nuda crura , transi flumina , reuelabitur ignominia tua ,
 apparebunt opprobria tua . Et hoc post dei filii thalamum ,
 post oscula fratruelis & sponsi , illa de qua quondam ser-
 mo propheticus concinebat : Astitit regina a dextris
 tuis in uestitu deaurato , circumdata uarietate : nudabi-
 tur , & posteriora eius ponentur in facie ipsius : Sedebit
 ad aquas solitudinis , posito uase , & diuarcabit pedes
 suos omni transeunti , & usque ad uerticem polluetur .
 rectius fuerat hominis subiisse coniugium , ambulasse
 per plana , quàm ad altiora tendentem , in profundum
 inferni cadere . Ne fiat obsecro ciuitas meretrix , fide-
 lis Sion : ne post trinitatis hospitium , ibi dæmones sal-
 tent , & Sirenæ nidificent , & hericii . Non soluatur fa-
 scia pectoralis tui , sed statim ut libido titillauerit sen-
 sum ,

sum, aut blandum uoluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in uocem: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro. et cum paululum interior homo inter uitia atque uirtutes coeperit fluctuare, dicito: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare uultus mei, & Deus meus. Nolo sinas cogitationem crescere. nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. dum paruus est hostis interfice, nequitia, ne zizania crescant, elidatur in femine.

Pfal. 136.

Audi psalmistam dicentem: Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille predicatur beatus, qui ut coeperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit eos ad petram: petra autem Christus est. O quotiens ego ipse in eremo constitutus, & in illa uasta solitudine, quae exusta solis ardoribus horridum monachis praestat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis, sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. horrebant facco membra deformia, squalida cutis situm aethiopicæ carnis obduerat. quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem carnem somnus imminens oppressisset, nuda humo uix ossa hærentia collidebam. De cibis uero & potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantum socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. pal-
lebant

lebant ora ieiuniis, & mens desiderii aestuabat in frigiditate corpore, & ante hominem sua iam carne præmortuum sola libidinum incēdia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebā pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. non erubescō confiteri infelicitatis meæ miseriam, quin potius plango me non esse quod fuerim. memini me clamantem, diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse uerbibus, quàm rediret domino increpante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam, pertimescebam. et mihi met iratus & rigidus, solus deserta penetrabam. sicubi concaua uallium, aspera montium, rupium prærupta cernebā, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum: & ut ipse mihi testis est dominus, post multas lacrymas, post calo inhaerentes oculos, nonnunquam uidebar mihi interesse agminibus angelorum, & latus gaudensq; cantabam: Post te in odore unguentorum tuorum curremus. Si autem has sustinent tentationes libidinum, qui exeso corpore, solis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella, quæ deliciis fruitur? nempe illud Apostoli: Viuens mortua est. Siquid itaque in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi uinum fugiat pro ueneno. Hæc aduersus adolescentiā prima arma sunt dæmonum. non sic auaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. facile his caremus uitiiis, hic hostis nobis inclusus est. quocumque pergitur nobiscum portamus inimicum. Vinum & adolescentia duplex incendium uoluptatis. Quid oleum

DIVI HIERONYMI

flammæ adiicimus? quid ardenti corpusculo fomen-
 ta ignium ministramus? Paulus ad Timotheum sic
 1. Tim. 5. scribit, Iam noli aquam bibere, sed uino modico u-
 tere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas
 infirmitates. Vide quibus causis uini potio conceda-
 tur, ut ex hoc stomachi dolor, & frequens medeatur
 infirmitas. Et ne nobis forsitan de ægrotationibus blâdi
 remur, modicum præcepit esse sumendum, medici po-
 tius consilio usus, quàm Apostoli: licet Apostolus sit
 medicus spiritalis: et ne Timotheus imbecillitate supe-
 ratus, euangelii prædicandi non posset implere discursus.
 Eph. 5. Alioquin se dixisse meminerat: Vinum in quo est
 Rom. 14. luxuria: Et bonum est homini uinum non bibere, &
 carnem non manducare. Noe uinum bibit, & inebria-
 tus est. Post diluuium, rudi adhuc sæculo, & tunc pri-
 mum plantata uinea, inebriare uinum forsitan nescie-
 bat. et ut intelligas scripturæ in omnibus sacramen-
 tum: Margaritum quippe est sermo dei, & ex omni
 parte forari potest, ebrietatem nudatio femorum subse-
 cuta est, libido iuncta luxuriæ. prius enim uenter exten-
 ditur, & sic cetera membra concitantur. Manducauit
 Ex. 32. enim populus, & bibit, & surrexerunt ludere. Lot ami-
 Gen. 19. cus dei in monte saluatus, & de tot millibus populi fo-
 2. mi 7. 1 lus iustus inuentus, inebriatur a filiabus suis: & licet il-
 læ putarent genus hominum defecisse, & hoc facerent
 liberorum magis desiderio, quàm libidinis: tamen scie-
 bant uirum iustum hoc nisi ebrium non esse facturum.
 denique quid fecerit, ignorauit: & quanquam uolun-
 tas non sit in crimine, error in culpa est. Inde nascun-
 tur Moabitæ: & Ammonitæ inimici Israel, qui usque
 ad quartam & decimam progeniem, & usque in æter-
 num

num, non ingrediuntur Ecclesiam dei. Helias cum Iezabel fugeret, & sub quercu iaceret lassus, ueniēte ad se angelo suscitatur, & dicitur ei: Surge & manduca. et respexit, & ecce ad caput eius panis collyrida, & uas aquæ. Re uera non poterat Deus conditum ei merum mittere, & electos cibos, & carnes confusione mutatas. Helisæus filios prophetarum inuitat ad prandium, & herbis agrestibus eos alens, consonum prandentium audit clamorem: Mors in olla. homo dei non iratus est cocis, lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat, sed farina desuper iacta, amaritudinem dulcorauit: eadem spiritus uirtute, qua Moyses mutauerat mararam in dulcedinem. Necnon & illos, qui ad eum comprehendendum uenerant, oculis pariter ac mente cæcatos, cum in Samariam nescios induxisset, qualibus eos epulis refici imperarit, ausculta. Pone eis panem & aquam, manducant & bibant, & remittantur ad domum suam. Potuit & Danieli de regiis ferculis opulentior mensa transferri, sed Abacuc ei messorum prandium portat, arbitror rusticanum. ideoq; & desideriorum uir appellatus est, quia panem desiderii non manducauit, & uinum concupiscentiæ non bibit. Innumerabilia sunt in scripturis resperfa diuinis, quæ gulam damnent, & simplices cibos probent. Verum quia nunc non est propositum de ieiuniis disputare, & uniuersa exequi sui est tituli & uoluminis, hæc sufficiant pauca de plurimis. alioquin ad exemplum horum poteris tibi ipsa colligere, quomodo & primus de paradiso homo, uentri magis obediens, quam Deo, in hanc lacrymarum deiectus est uallē: & ipsum Dominū satanas fame tentauerit in deserto: & Apostolus clamitet: Escæ uentri, & uenter

ter escis : Deus autem hunc & illas destruet . Et de luxuriosis , quorum Deus uenter est . id enim colit unusquisque , quod diligit . Ex quo sollicitè prouidendum est , ut , quos saturitas de paradiso expulit , reducat esurians . Quòd si uolueris respondere , te nobili stirpe generatam , semper in deliciis , semper in plumis , non posse a uino & exculentioribus cibus abstinere , nec his legibus uiuere , districtius respondebo : Viue ergo lege tua , quæ Dei non potes . non quòd Deus uniuersitatis creator & dominus , intestinorum nostrorū rugitu & inanitate uentris , pulmonisq; delectetur ardore , sed quòd aliter pudicitia tua esse non possit . Iob Deo carus , & testimonio ipsius immaculatus & simplex , audi quid de diabolo suspicetur : Virtus eius in lumbis eius , & potestas eius in umbilico . Honeste uiri mulierisq; genitalia immutatis sunt appellata nominibus . Vnde & de lumbis Dauid super sedem eius promittitur esse sessurus . Et septuaginta quinque animæ introierunt in Aegyptū , quæ exierunt de femore Iacob . at postquam colluctante domino latitudo femoris eius emarcuit , a liberorum opere cessauit . Et qui pasca facturus est , accinctis mortificatisq; lumbis facere præcipitur . et ad Iob dicit Deus : Accinge sicut uir lumbos tuos . Et Ioannes zona pellicea cingitur . Apostoli iubentur accinctis lumbis euangelii tenere lucernas . Ad Hierusalem uero , quæ respersa sanguine in campo inuenitur erroris , in Ezechiele dicitur : Non est præcisus umbilicus tuus . omnis igitur aduersus uiros diaboli uirtus in lumbis est : omnis in umbilico contra feminas fortitudo . Vis scire ita esse ut dicimus ? accipe exempla . Sampson leone fortior , & saxo durior , qui & unus & nudus mille persecutus

persecutus est armatos, in Dalilæ mollescit amplexibus. David secundum cor domini electus, & qui uenturum Christum sancto sæpe ore cantauerat, postquam deambulans super tectum domus suæ Bethsabeæ captus est nuditate, adulterio iunxit homicidium. Vbi & illud breuiter attende, quòd nullus sit etiam in domo tutus aspectus. quapropter ad dominum penitens loquitur: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Rex enim alium non timebat. Salomon, per quem se cecinit ipsa sapientia, qui disputauit a cedro libani usque ad hisopum, quæ exiit per parietem, recessit a domino quia amator mulierum fuit. Et ne quis sibi de sanguinis propinquitate consideret, in illicitum Thamar fororis Amnon frater exarsit incendium. Piget dicere, quot quotidie uirgines Deo sacratæ ruant, quantas de suo gremio mater perdat Ecclesia, super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum suum, quot petras excauet, & habitet coluber in foraminibus earum. Videas plerasque uiduas antequam nuptas, infelicem conscientiam mentita tantum ueste protegere. quas nisi tumor uteri, & infantum prodiderit uagitus, erecta ceruice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ uero sterilitatem præbent, & nec dum nati hominis homicidium faciunt. Nonnullæ cum se senserint concepisse de scelere, abortii uenena meditatur, & frequenter etiã ipsæ commortuæ, trium criminum reæ, ad inferos perducuntur, homicidæ sui, Christi adulteræ, nec dum nati filii parricidæ. Istæ sunt quæ solent dicere: Omnia munda mundis. sufficit mihi conscientia mea. Cor mûdum desiderat Deus. cur me abstineam a cibus, quos creauit Deus ad utendum? Et si quando festiue & lepi-

Psal. 50.

2. 1017

de uolunt uiuere, ubi se mero ingurgitauerint, ebrietati sacrilegium copulantes, aiunt: Absit, ut ego me a Christi sanguine abstineam. et quam uiderint tristem atque pallentem, miseram, & Manichæam uocant. et consequenter. tali enim proposito ieiunium hæresis est. Hæ sunt, quæ per publicum notabiliter incedunt, & furtiuus oculorum nutibus adolescentium greges post se trahunt, quæ semper audiunt per prophetam:

Hier.3. Facies meretricis facta est tibi, impudorata es tu. Purpura tantum in ueste tenuis, & laxius, ut crines decidat, ligatum caput, foccus uilior, & per humeros hiacynthina lena forte uolitans: succinctæ manicæ brachiis adhærentes, & solutis genibus fractus incessus: hæc est apud illas tota uirginitas. Habeant istæ huiusmodi laudatores suos, & sub uirginali nomine lucrosius pereant. libenter talibus non placemus. Pudet dicere, pro nefas. triste, sed uerum est: Vnde in Ecclesias Agapetarū pestis introiit? unde sine nuptiis aliud nomen uxorū? immo unde nouum concubinarum genus? Plus inferam: Vnde meretrices uniuiræ? Eadem domo, uno cubiculo, sæpe uno tenentur & lectulo, & suspiciosos nos uocant, si aliquid existimemus. frater sororem uirginē deserit, cælibem spernit uirgo germanum, fratrem quærit extraneum, & cum in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spiritale solatium, ut domi habeant carnale commercium. Istiusmodi homines

Prou.9. Salomon in Prouerbiis arguit dicens: Alligabit quis in sinu ignem, & uestimenta eius non comburentur? Aut ambulabit super carbones ignis, & pedes illius non ardebunt? Explosis igitur & exterminatis his, quæ nolunt esse uirgines, sed uideri, nunc ad te mihi omnis dirigatur

dirigatur oratio. Quæ quanto prima Romanæ urbis uirgo nobilis esse cœpisti, tanto tibi amplius laborandum est, ne & præsentibus bonis careas, & futuris. Et quidem molestias nuptiarum, & incerta coniugii domestico exemplo didicisti, cum soror tua Blefilla ætate maior, sed proposito minor, post acceptum maritum, septimo mense uiduata est. O infelix humana conditio, & futuri nescia. et uirginitatis coronam, & nuptiarum perdidit uoluptatem. Et quanquam secundum pudicitia gradum teneat uiduitas, tamen quas illam per momenta sustinere existimas cruces, spectantem quotidie in sorore, quod ipsa perdidit, & cum difficilius experta careat uoluptate, minorem continentia se sciat habere mercedem? Sit tamen & illa secunda, sit gaudens, quia centesimus & sexagesimus fructus de uno sunt femine castitatis. Nolo habeas consortia matronarum: nolo ad nobilium domos accedas: nolo te frequenter uidere, quod contemnens, uirgo esse uoluisti. Sic sibi solent applaudere mulierculæ de iudiciis uiris, & in aliqua positis dignitate. Si ad imperatoris uxorem concurrat ambitio salutantium, cur tu facis iniuriam uiro tuo? Ad hominis coniugem, Dei sponsa quid prope-ras? Disce in hac parte superbiam sanctam: scito te illis esse meliorem. neque uero earum tantum te cupio declinare congressus, quæ maritorum instantur honoribus, quas eunuchorum greges sepiunt, et in quarum uestibus attenuata in filum auri metalla texuntur, sed etiã eas fuge, quas uiduas necessitas fecit, non uoluntas: non quod mortem optauerint maritorum, sed quod datam occasionem pudicitia non libenter acceperint. Nunc uero, tantum ueste mutata pristina, non mutatur

DIVI HIERONYMI

ambitio. Præcedit caueas Bastarnarum, ordo semiu-
 rorum: & rubentibus buccis, cutis farta distenditur,
 ut eas putes maritos non amisisse, sed quærere. plena
 adulatoribus domus, plena conuiujs. Clerici ipsi, quos
 & magisterio esse oportuerat pariter & timori, osculan-
 tur capita matronarum, & extenta manu, benedicere
 eos putes, si nescias, preta accipiunt salutandi. Illæ
 interim, quæ sacerdotes suo uiderint indigere præsidio,
 eriguntur in superbiam. et quia maritorum expertæ do-
 minatum, uiduitatis præferunt libertatem, castæ uo-
 cantur & Nonnæ, & post cænam dubiam Apostolos som-
 niant. Sint tibi sociæ, quas ieiunia tenuant, quibus
 pallor in facie est, quas & ætas probauit & uita, quæ
 quotidie in cordibus suis canunt: ubi pascis? ubi cubas
 in meridie? quæ ex affectu dicunt: cupio dissolui, &
 esse cum Christo. Esto subiecta parentibus: imitare spõ-
 sum tuum. rarus sit egressus in publicum: martyres tibi
 quærantur in cubiculo tuo. Nunquam causa deerit pro-
 cedendi, si semper, quando necesse est, processura sis.
 Sit tibi moderatus cibus, & nunquam uenter expletus.
 plures quippe sunt, quæ cum uino sint sobriæ, ciborum
 largitate sunt ebræ. Ad orationem tibi nocte surgenti
 non indigestio ructum faciat, sed inanitas. Crebrius le-
 ge, discere quamplurima. tenenti codicem somnus obre-
 pat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat. sint
 tibi quotidiana ieiunia, & refectio ad uesperam satie-
 ratem fugiens. Nihil prodest, biduo triduoq; transmis-
 so, uacuũ portare uentrem, si pariter obruatur, si com-
 pensetur saturitate ieiunium. Illico mens repleta torpe-
 scit, & irrigata humus spinas libidinum germinat. Si
 quando senseris exteriorem hominem florem adolescẽ-
 tia

tiæ suspirare, & accepto cibo, cum te in lectulo compo-
 sitam dulcis libidinum pompa concusserit, arripe scu-
 tum fidei, in quo ignitæ diaboli extinguuntur sagittæ.
 Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum. at Osee 7.
 tu Christi comitata uestigiis, & sermonibus eius inten-
 ta dic: Nonne cor nostrum ardens erat in uia, cum ape- Luc. 24.
 rirer nobis Iesus scripturas? et illud: Ignitum eloquium Psal. 118.
 tuum, & seruus tuus dilexit illud. Difficile est huma-
 nam animam aliquid non amare, & necesse est, ut in
 quoscunque mens nostra trahatur affectus, carnis a-
 mor spiritus amore superetur, desiderium desiderio
 restinguatur. quidquid inde minuitur, hic crescit. Quin
 potius semper ingemina, & dic super lectum tuum: In
 noctibus quæsiui quem dilexit anima mea. Mortificate Gal. 2.
 ergo, inquit Apostolus, membra uestra, quæ sunt su-
 per terram. unde & ipse postea confidenter aiebat: Vi-
 uo autem iam non ego, uiuit uero in me Christus.
 Qui mortificat membra sua, & in imagine perambulat,
 non timet dicere: Factus sum sicut uter in pruina. Psal. 118.
 Quidquid enim in me fuit humoris libidinis, excoctū
 est, & infirmata sunt a ieiunio genua mea, & oblitus sum
 comedere panem meum. A uoce gemitus mei adhæsit
 os meum carni meæ. Esto cicada noctium. lara per
 singulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis stratum tuū
 riga. Vigila, & fias sicut passer in solitudine: psalle spi-
 ritu. psalle & sensu: Benedic anima mea dominum, &
 ne obliuiscaris omnes retributiones eius, qui propitia-
 tur cunctis iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmi-
 tates tuas, & redimit ex corruptione uitam tuam. Et
 quis nostrum ex corde dicere potest: Quia cinerem tan- Psal. 101.
 quam panem manducabam, & potionem meam cum

DIVI HIERONYMI

fletu miscebam? an non flendum est, non gemendum, cum me rursus serpens inuitat ad illicitos cibos? cum de paradiso uirginitatis eiectum, tunicis uult uestire pelliceis, quas Helias ad paradisum rediens, proiecit in terram? Quid mihi & uoluptati, quæ breui perit? quid cum hoc dulci & mortifero carmine Sirenarum? Nolo te illi subiacere sententiæ, qua in hominem est illata damnatio: In doloribus, & anxietatibus paries. **Gen. 3.** Mulieris lex ista est non mea. Et ad uirum conuersio tua. Sit conuersio illius ad maritum, quæ uirum non habet Christum: Et ad extremum, morte morieris. Finis iste coniugii, meum propositum sine sexu est: habeant nuptæ suum tempus, & titulum. Mihi uirginitas in Maria dedicatur & Christo. Dicat aliquis: Et audes nuptiis detrahere, quæ a Deo benedictæ sunt? non est detrahere nuptiis, cum illis uirginitas antefertur. nemo malum bono comparat. Glorientur & nuptæ, cum a uirginibus sint secundæ: **Gen. 1.** Crescite, ait, & multiplicamini, & replete terram. crescat & multiplicetur ille, qui impleturus est terram. tuum agmen in cælis est. Crescite & multiplicamini, hoc expletur edictum post paradisum, & nuditatem, & ficus folia, auspicantia pruriginem nuptiarum. Nubat & nubatur ille, qui in sudore faciei comedit panem suum, cui terra tribulos & spinas germinat, cui herba sentibus suffocatur. Meum semen, centena fruge fecundum est. Non omnes capiunt uerbum Dei, sed hi quibus datum est. alium, eunuchum necessitas faciat, me uoluntas. Tempus amplexandi, & tempus abstinendi a complexibus: tempus mittendi lapides, & tempus colligendi. Postquam de duritia nationum generati sunt filii Abraæ, coeperunt sancti lapides uolui

uolui super terram. Pertranseunt quippe mundi istius turbines, & in curru Dei rotarum celeritate uoluuntur. Consuant tunicas, qui inconsutam defursum tunicam perdidit: quos uagitus delectat infantium, in ipso lucis exordio fetulugentium quod nati sunt. Eua in paradiso uirgo fuit: post pelliceas tunicas, initium nuptiarum. tua regio paradisu est. serua quod nata es, & dic, reuertere anima mea in requiem tuam. et ut scias uirginitatem esse naturæ, nuptias post delictum: uirgo nascitur caro de nuptiis: in fructu reddens, quod in radice perdidit. Exiet uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Virga mater est domini, simplex, pura, syncera, nullo extrinsecus germine cohærente, & ad similitudinem dei unione fecunda. uirgæ flos Christus est, dicens: Ego flos campi, & lilium conuallium. qui & in alio loco, lapis prædicatur abscissus de monte sine manibus: significante propheta, uirginem nasciturum esse de uirgine. manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum, ut ibi: Sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. In huius sensu congruit uoluntatem etiam illud, quod animalia, quæ in arcam Noe bina inducuntur, immunda sunt. Impar numerus est mundus: Et Moyses, & Iesus Naue nudis in sanctam terram pedibus iubentur incedere. Et discipuli sine calciamentorum onere, & uinculis pellium ad prædicationem noui euangelii destinantur. et milites, uestimentis Iesu sorte diuisis, caligas non habuere quas tollerent. nec enim poterat habere dominus, quod prohibuerat seruis. Laudo nuptias, laudo coniugium, sed quia mihi uirgines generant, lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritum. Nunquid qui arat, tota die

Esa. 11.

Cant. 2.
Dan. 2.

DIVI HIERONYMI

die arabit? nonne & laboris sui fruge lætabitur? sed dicit forsitan mater tua: plus honorantur nuptiæ, quando, quod de illis nascitur, plus amatur. Quid inuides mater filiæ? tuo lacte nutrita est, tuis educata uisceribus, in tuo adoleuit sinu. tu illam uirginem sedula pietate seruasti, & nunc indignaris, quod noluit militis esse uxor, sed regis? Grande tibi beneficium præstitit.

1. Cor. 7. focus dei esse cœpisti. De uirginibus, inquit Apostolus, præceptum domini non habeo. cur? quia & ipse, ut esset uirgo, non fuit imperii, sed propriæ uoluntatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum uxorem habuisse confingunt, cum de continentia differens, & suadens perpetuam castitatem, intulerit, Volo autem omnes esse sicut me ipsum. et infra: Dico autem, & in nuptis & uiduis: Bonum est illis si sic permaneant, sicut

1. Cor. 9. & ego. et in alio loco: Nunquid non habemus potestatem circumducendi mulieres, sicut & ceteri Apostoli? Quare ergo non habet domini de uirginitate præceptum? quia maioris est mercedis, quod non cogitur, & offertur. quia si fuisset uirginitas imperata, nuptiæ uidebantur ablatae. et durissimum erat contra naturam cogere, angelorumque uitam ab hominibus extorquere, & id quodam modo damnare, quod conditum est. Alia fuit in ueteri lege felicitas: Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Hierusalem. &, Maledicta sterilis, quæ non pariebat. et, Filii tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. et, repromissio diuitiarum. et,

Esa. 56. Nō erit infirmus in tribubus tuis. Nunc dicitur: Ne te lignum arbitreris aridum. habes locum pro filiis & filiabus in cælestibus sempiternum. nunc benedicentur pauperes, & Lazarus diuiti præfertur in purpura. nunc
qui

qui infirmus est, fortior est. Vacuus erat orbis: & ut
 de typicis taceam, sola erat benedictio liberorum. pro-
 pterea & Abraam iam senex Cethuræ copulatur: & Ia-
 cob mandragoris redimitur: et conclusam uuluam in
 Ecclesiæ figuram, Rachel conqueritur. Paulatim uero
 crescente segete, messor immissus est. Virgo Helias,
 Helisæus uirgo, uirgines multi filii prophetarum. Hie-
 remiæ dicitur: Et tu ne accipias uxorem. Sanctificatus Hier. 16.
 in utero, captiuitate propinqua, uxorem prohibetur
 accipere. Aliis uerbis idipsum Apostolus loquitur: Exi 1. Cor. 7.
 stimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem,
 quoniam bonum est homini sic esse. Quæ est ista neces-
 sitas, quæ aufert gaudia nuptiarum? tempus breuiatū
 est: Reliquum est, ut & qui habent uxores, sint quasi
 non habeant. In proximo est Nabuchodonosor. Pro-
 mouit se leo de cubili suo. Quò mihi superbissimo regi
 feruitura coniugia? quò paruulos, quos propheta com-
 ploret, dicens? Adhæsit lingua lactentis ad faucem ip-
 sius in siti. Paruuli postulauerunt panem, & qui frange-
 ret eis non erat. Inueniebatur ergo, ut diximus, in ui-
 ris tantum hoc continentia bonum, & in doloribus in-
 giter Eua parturiebat. Postquam uirgo concepit in ute-
 ro, & peperit nobis puerum, cuius principatus in hu-
 meros eius, Deum fortē, patrē futuri sæculi; soluta ma-
 ledictio est. Mors per Euam: uita per Mariam. Ideoq; &
 diuinitus uirginitatis donum fluxit in feminas, quia cœ-
 pit a femina. Statim ut filius dei ingressus est super ter-
 ram, nouam sibi familiam instituit, ut, qui ab angelis
 adorabatur in celo, haberet angelos & in terris. Tunc
 Holofernis caput Iudith continens amputauit. Tunc
 Aman, qui interpretatur iniquitas, suo combustus est
 igni.

DIVI HIERONYMI

- igni . Tunc Iacobus & Ioannes, relicto patre, reti, nauicula, sequuti sunt saluatorem : affectum sanguinis & uinacula sæculi, & curam domus pariter relinquentes. tunc
- Matth. 16. primum auditum est : Qui uult uenire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Nemo enim miles cū uxore pergit ad proelium. discipulo ad sepulturam patris ire cupienti, non permittitur.
- Matth. 8. Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Ne
1. Cor. 7. forsitan contristeris, si anguste manseris. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quo modo placeat domino. qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quo modo placeat uxori. Diuisa est mulier, & uirgo. Quæ non est nupta, cogitat quæ sunt domini, ut sit sancta corpore & spiritu. nam quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quo modo placeat uiro. Quantas molestias habeant nuptiæ, & quot sollicitudinibus uinciantur, in eo libro, quem aduersus Heluidium de beatæ Mariæ perpetua uirginitate edidimus, puto breuiter expressum. nunc eadem replicare perlongum est : et, si cui placet, de illo potest haurire fonticulo. Verum ne potius uidear omisisse, nunc dicam, quòd cum
1. Theff. 5. Apostolus sine intermissione orare nos iubeat, & qui in coniugio debitum soluit, orare non possit, aut oramus semper, & uirgines sumus, aut orare desinimus, ut coniugio seruiamus. Et si nupserit, inquit, uirgo, non peccat : tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. et in principio libelli præfatus sum, me de angustiis nuptiarum aut nihil omnino, aut pauca dicturum : et nunc eadem admoneo, ut, si tibi placet scire quot molestiis uirgo libera, quot uxor astricta sit, legas Tertullianum

lianum ad amicum philosophum scribentem, & de uirginitate alios libellos, & beati Cypriani uolumen egregium, & Papæ Damasi super hac re, uersu, profaq; composita, & Ambrosii nostri quæ nuper scripsit ad sororem opuscula. in quibus tanto se effudit eloquio, ut quidquid ad laudes uirginum pertinet exquisierit, expresse rit, ordinarit. nobis diuerso tramite incedendum. Virginitatem non tantum efferimus, sed seruamus. Nec sufficit scire, quod bonum est, nisi custodiatur attentius quod electum est: quia illud iudicii, hoc laboris: & illud commune cum pluribus, hoc cum paucis. **Qui** perseverauerit, inquit, usque in finem, hic saluus erit. Et multi uocati, pauci autem electi. Itaque obtestor te coram Deo, & Christo Iesu, & electis angelis eius, ut custodias quæ cœpisti: ne uasa templi domini, quæ solis sacerdotibus uidere concessum est, facile in publicum proferas: ne sacrarium Dei quisquam profanus aspiciat. Oza arcam quam non licebat attingens, subita morte prostratus est. neque enim uas aureum, & argenteum tam carum Deo fuit, quàm templum corporis uirginalis. præcessit umbra, nunc ueritas est. Tu quidem simpliciter loqueris, & ignotos quosque blanda non despicias, sed aliter uident impudici oculi. non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum. Ezechias thesaurum Dei monstrat Assyriis, sed Assyrii non debuerunt uidere quod cuperent. Denique frequentibus bellis Iudæa conuulsa, uasa primum domini capta atque translata sunt. & inter epulas & cōcubinarum greges, quia palma uitiorum est, honesta polluere, Balthasar potat in phialis. Ne declines aurem tuam in uerba malitiæ. Sæpe enim indecens aliquid

Matth. 10.

Matth. 20.

T loquentes

D I V I H I E R O N Y M I

loquentes, tentant mentis arbitrium, si libenter audias uirgo quod dicitur, si ad ridicula quæque soluaris, quid quid dixeris, laudant: quidquid negaueris, negant: factam uocant, & sanctam, & in qua nullus sit dolus: ecce uere ancilla Christi, dicentes: ecce tota simplicitas: non ut illa horrida, turpis, rusticana, terribilis, & quæ ideo forsitan maritum non habuit, quia inuenire non potuit. Naturali ducimur malo. adulatoribus nostris fauemus libenter: & quanquam nos respondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat, attamen ad laudem suam intrinsecus anima lætatur. Sponsa Christi arca est testamēti, intrinsecus & extrinsecus deaurata, custos legis domini. Sicut in illa nihil aliud fuit, nisi tabulæ testamenti, ita & in te nullus sit extrinsecus cogitatus. Super hoc propitiatoriū quasi super cherubim sedere uult dominus. mittit discipulos suos, ut in te sicut in pullo asinæ sedeat. Curis te sæcularibus soluat, ut paleas & lateres Aegypti derelinquens, Moysem sequaris in eremo, & terram repromissionis introeas. Nemo sit qui prohibeat, non mater, non soror, non cognata, non germanus: dominus te necessariam habet. Quod si uoluerint impedire, timeant flagella Pharaonis, qui populum Dei ad colendum eum nolens dimittere, passus est ea, quæ scripta sunt. Iesus ingressus in templum, ea, quæ templi non erant, proiecit. Deus enim zelotes est, & non uult patris domum fieri speluncam latronum. Alioqui ubi ara numerantur, ubi sunt cauæ columbarum, & simplicitas enecatur, ubi in pectore uirginali sæcularium negotiorum cura æstuat, statim uelum templi scinditur: sponsum confurgit iratus, & dicit: Relinquetur uobis domus uestra deserta. Lege euangelium,

Matth. 23.

Relinquetur

T

lium,

lium, & uide quo modo Maria ad pedes domini sedens Luc. 10.
 Martha studio præferatur. Et certe Martha sedulo ho-
 spitalitatis officio, domino atque discipulis eius con-
 uiuium præparabat: cui Iesus, Martha, inquit, Martha
 sollicita es, & turbaris erga plurima: pauca autem ne-
 cessaria sunt, aut unum: Maria bonam partem elegit,
 quæ non auferetur ab ea. esto & tu Maria, cibus præfer
 to doctrinam. sorores tuæ cursitent, & quærant quo
 modo Christum hospitem suscipiant, tu semel sæculi o-
 nere proiecto, sede ad pedes domini, & dic: Inueni Cant. 3.
 eum, quem quærebat anima mea: tenebo eum, & non
 dimittam; & ille respondeat: Vna est columba mea, Cant. 6.
 perfecta mea: una est matri suæ, electa genitrici suæ,
 cælesti uidelicet Hierusalem. Semper te cubiculi tui se-
 creta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrin-
 secus. Oras, loqueris ad sponsum: legis, ille tibi loqui
 tur: et cum te somnus oppresserit, ueniet post parietem,
 & mittet manum suam per foramen, & tanget uentrem Cant. 5.
 tuum. & tremefacta confurges, & dices: Vulnerata car-
 ritate ego sum, & rursus ab eo audies: Hortus conclu- Cant. 4.
 sus soror mea sponsa: hortus conclusus, fons signatus.
 Caue ne domum exeas, & uelis uidere filias regionis
 alienæ, quamuis fratres habeas patriarchas, & Israel pa-
 rente lateris. Dina egressa, corrumpitur. Nolo te spon-
 sum quærere per plateas. nolo te circumire angulos ci-
 uitatis, dicas licet: Surgam, & circumibo ciuitatem, & Cant. 3.
 in foro, & in plateis quæram quem dilexit anima mea,
 & interrogas: Num quem dilexit anima mea, uidistis?
 nemo tibi respondere dignabitur. Sponsus in plateis
 non potest inueniri. Arcta & angusta uia est, quæ ducit
 ad uitam. denique sequitur: Quæsiui eum, & non Cant. 5.
 inueni:

DIVI HIERONYMI

Cant. 5. inueni : uocaui eum , & non respondit mihi . atque uti-
 nam non inuenisse sufficiat . Vulneraberis , nudaberis , &
 gemebunda narrabis : Inuenerunt me custodes , qui cir-
 cumeunt ciuitatem : percusserunt me , & uulnerauerunt
 me , tulerunt theristrum meum mihi . Si autem hoc
 exiens patitur illa , quæ dixerat : Ego dormio , & cor
 meum uigilat , & fasciculus stactes fratruelis meus mihi ,
 in medio uberum meorum commorabitur : quid de nõ
 bis fiet , quæ adhuc adolescentulæ sumus ? quæ sponsa
 intrante cum sponso remanemus extrinsecus ? Zeloty-
Cant. 1. pes licet atque causeris , obducto uelamine ora contexi ,
 & quæsiui te tibi , & dixi : Annuntia mihi , quem dile-
 xit anima mea : ubi pascas , ubi cubes in meridie , ne
 quando efficiar sicut operta super greges sodalium tuo-
Cant. 1. rum : indignabitur , tumebit , & dicet : Si non cogno-
 ueris te ipsam o pulchra inter mulieres : egredere tu in
 uestigiis gregum , & pasce hædos tuos in tabernaculis
 pastorum . Sis licet pulchra , & inter omnes mulieres spe-
 cies tua diligatur a sponso , nisi te cognoueris , & omni
 custodia seruaueris cor tuum , nisi oculos iuuenum fu-
 geris , egredieris de thalamo meo , & pasces hædos , qui
 staturi sunt a sinistris . Itaque mi Eustochium filia , do-
 mina , conserua , germana , (aliud enim ætatis , aliud
 meriti , aliud religionis , hoc caritatis est nomen) audi
Esa. 26. Esaiam loquentem : Populus meus intra cubiculum
 tuum . Claude ostium tuum , abscondere , pusillum
 aliquantulum , donec pertransseat ira domini . Foris
 uagentur uirgines stultæ , tu intrinsecus esto cum spon-
Matth. 6. so , quia , si ostium claueris , & secundum Euange-
 lli præceptum in occulto oraueris patrem tuum , ueniet ,
 pulsabit ,

pulsabit, & dicet: Ecce ego sto ante ianuam & pulso. Apoc. 3.
 Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, & cænabo
 cum illo, & ipse mecum: & tu statim sollicita, respon-
 debis: Vox fratruelis mei pulsantis: Aperi mihi soror Cant. 5.
 mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea. neces-
 se est ut dicas: Dispoliaui me tunica mea, quo modo
 induam illam? laui pedes meos, quo modo inquinabo
 eos? Illico consurge, & aperi, ne te remorante pertran-
 feat: & postea conqueraris, & dicas: Aperui ego fra-
 trueli meo, fratruelis meus pertransiuit. Quid enim ne-
 cesse est, ut cordis tui ostia clausa sint? Sponso aperian-
 tur Christo, claudantur diabolo, secundum illud: Si Eccl. 10.
 spiritus potestatem habentis ascenderit super te, ne di-
 miseris locum tuum. Daniel in cænaculo suo manebat Dan. 6.
 in superioribus, (neque enim manere poterat in humi-
 li) fenestras apertas ad Hierusalem habuit. Et tu habe-
 to apertas fenestras, sed unde lumen introeat, unde ui-
 deas ciuitatē domini. Ne aperias illas fenestras, de qui-
 bus dicitur, Intrauit mors per fenestras nostras. Illud Hier. 9.
 quoque tibi uitandū est cauti⁹, ne inanis gloriæ ardore
 capiaris. Quomodo inquit Iesus, potestis credere, gloriā
 ab hominibus accipiētes? Vide quale malū sit, quod qui 1. Ioann. 5.
 habuerit nō potest credere. nos uero dicamus: Quoniā 2. Cor. 10.
 gloriatio mea tu es. et, Qui gloriatur, in domino glo-
 rietur. et, Si adhuc hominibus placerem, Christi fer-
 uis non essem. et, Mihi autem absit gloriari, nisi in
 cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mun-
 dus crucifixus est, & ego mundo. et illud: In te lauda-
 bimur tota die, &, In domino laudabitur anima mea. Psal. 43.
 Cum facis eleemosynam, Deus solus uideat. Cum Psal. 33.
 ieiunas, læta sit facies. uestis nec satis munda, nec for-
 dida,

77
 DIVI HIERONYMI

dida, & nulla diuerfitate notabilis: ne ad te obuiam
 prætereuntium turba consistat, & digito monstreris.
 Frater est mortuus, aut sororis est corpusculum deducen-
 dum: caue ne, dum hæc sapius facis, ipsa moriaris. Néc
 fatis religiosa uelis uideri, nec plus humilis quàm ne-
 cesse est, ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim pau-
 pertatis misericordiæ atque ieiunii arbitros declinâtes,
 hoc ipso cupiunt placere, quòd placere contemnunt:
 & mirum in modum laus, dum uitatur, appetitur. Ce-
 teris perturbationibus, quibus hominis mens gaudet,
 ægrescit, sperat, & metuit, plures inuenio extraneos:
 hoc uitio pauci admodum sunt qui caruerunt, & ille
 optimus, qui quasi in pulchro corpore, rara neuorum
 forde respergitur. Neque uero moneo, ne de diuitiis
 glorieris, ne de generis nobilitate te iactes, ne te ceteris
 præferas. Scio humilitatem tuâ: scio te ex affectu dicere:
 Psal. 130. Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati
 sunt oculi mei. noui apud te & apud matrem tuam, su-
 perbiâ, per quam diabolus cecidit, penitus locum
 non habere: unde super ea scribere ad te superfluum
 puto. stultissimum quippe est docere, quod nouerit
 ille quem doceas. Sed ne hoc ipsum tibi iactantiam ge-
 neret, quòd sæculi iactantiam contempsisti: ne cogita-
 tio tacita subrepat, ut, quia in auratis uestibus placere
 desisti, placere coneris in sordidis: & quando in con-
 uentum fratrum ueneris uel sororum, humilius sedeas,
 scabello te causeris indignam: uocem ex industria,
 quasi confectam ieiuniis, tenues: & deficientis imitata
 gressum, humeris innitaris alterius. Sunt quippe non
 nullæ exterminantes facies suas, ut appareant homini-
 bus ieiunantes: quæ statim ut aliquem uiderint, inge-
 miscunt,

miscunt, demittunt supercilium : & operta facie, uix
 unum oculum liberant ad uidendum. Vestis pulla,
 cingulum facceum, & sordidis manibus pedibusq;
 uenter solus, quia uideri non potest, æstuat cibo. his
 quotidie psalmus ille canitur: Dominus dissipabit ossa Psal. 52.
 hominum sibi placentium. Aliæ uirili habitu, ueste
 mutata, erubescunt esse quod natæ sunt, crinem ampu-
 tant, & impudenter erigunt facies eunuchinas. Sunt
 quæ ciliciis uestiuntur, & cucullis fabrefactis, ut ad in-
 fantiam redeant, imitantur noctuas & bubones. Sed ne
 tantum uidear disputare de feminis, uiros quoque fu-
 ge, quos uideris catenatos, quibusq; feminei contra
 Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium,
 & nudî patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumen-
 ta sunt diaboli. Talem olim Antonium, talem nu-
 per Sophronium Roma congemuit. qui postquam no-
 bilium introierunt domos, & deceperunt mulierculas
 oneratas peccatis, semper discentes, & nunquam ad
 scientiam ueritatis peruenientes, tristitiam simulant:
 & quasi longa ieiunia, furtiuis noctium cibus protra-
 hunt. Pudet dicere reliqua, ne uidear potius inuehi,
 quàm monere. Sunt alii (de mei ordinis hominibus
 loquor) qui ideo presbyterium & diaconatum ambi-
 unt, ut mulieres licentius uideant. Omnis his cura de
 uestibus, si bene oleant, si pes, laxa pelle, non fol-
 leat. Crines calamistri uestigio rotantur, digiti de a-
 nulis radiant: & ne plantas humidior uia spargat, uix
 imprimunt summa uestigia. tales cum uideris, spon-
 sos magis existimato, quàm clericos. Quidam in hoc
 omne studium uitamq; posuerunt, ut matronarum no-
 mina, domos, moresq; cognoscant. e quibus unum,
 qui

DIVI HIERONYMI

qui huius artis est princeps, breuiter strictimq; describam, quo facilius, magistro cognito, discipulos recognoscas. Cum sole festinus exurgit, salutandi ei ordo disponitur, uiarum compendia requiruntur, & pæne usque ad cubicula dormientium fenex importunus ingreditur. Si puluillum uiderit, si mantile elegans, si aliquid domesticæ supellectilis, laudat, miratur, atre etat, & se his indigere conquerens, non tam impetrat, quàm extorquet, quia singulæ metuunt ueredarium uerbis offendere. huic inimica castitas, inimica ieiunia, prandium nidoribus probat, & altilis *χεραιοπίππυς*, uulgo pipizo nominatur. os barbarum, & procax, & in conuicia semper armatum. Quocunque te uerteris, prius in facie est. Quidquid nouum insonuerit, aut auctor, aut exaggerator est famæ. Equi per horarum momenta mutantur, tam nitidi, tamq; feroces, ut Thracii regis illum putes esse germanum. Variis callidus hostis pugnat insidiis. Sapientior erat coluber omnibus bestiis quas creauerat dominus super terram. unde &

Gen. 3. *Gen. 3.* Apostolus: Non, inquit, ignoramus eius astutias. Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conueniunt Christiano. Si quid ignoras, si quid de scripturis sanctis dubitas: interroga eum, quem uita commendat, excusat ætas, fama non reprobatur, qui possit dicere: Responsi uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo. aut, si non est qui possit exponere, melius est aliquid nescire secure, quàm cum periculo discere. Memento, quia in medio laqueorum ambulat: & multæ ueteranæ uirgines, castitatis indubitatæ, in ipso mortis limine coronam perdidere de manibus. Si quæ ancillulæ sunt comites propositi tui, ne erigaris aduersus eas,

ne

ne inferis ut domina. Vnum sponsum habere cœpistis, simul psallitis. Christi simul corpus accipitis, cur mensa diuersa sit? prouocentur & aliæ. honor uirginum sit inuitatio ceterarum. Quòd si aliquam senseris infirmiorum in fide, suscipe, consolare, blandire, & pudicitiam illius fac lucrum tuum. si qua simulat, fugiens seruitutem, huic aperte Apostolum lege: Melius est nubere, 1. Cor. 7. quàm uri. Eas autem uirgines, & uiduas, quæ otiosæ & curiosæ domos circumeunt matronarum, quæ rubore frontis abstrito, parasitos uincunt mimorum, quasi quasdam pestes abiice. Corruptunt mores bonos con- 1. Cor. 15. fabulationes pessimæ. nulla illis nisi uentris cura est, & quæ uentri proxima. Istiusmodi hortari solêt, & dicere: Mi catella, rebus tuis utere, & uiue dum uiuis: nunquid filiis tuis seruas? Vinosæ, atque lasciuæ, quiduis mali insnuant, ac ferréas quoque mentes ad delicias emolliunt. et cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere 1. Tim. 5. uolunt, habentes damnationem, quòd primam fidem irritam fecerunt. Ne tibi deserta multum uelis uideri, aut lyrici festiuo carminis metro ludere. Non delumbem matronarum saliuam delicata secteris, quæ nunc strictis dentibus, nunc labiis dissolutis, balbutientem linguam in dimidiata uerba moderantur, rusti cum putantes omne quod nascitur. adeo illis adulterium etiam linguæ placet. Quæ enim communicatio luci ad tenebras? qui consensus Christo ad Belial? quid facit cum psalterio Horatius? cum euangelii Marto? cum apostolis Cicero? Nonne scandalizatur frater, si te uiderit in idolio recumbentem? & licet omnia munda mundis, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, tamen simul bibere non debemus

DIUI HIERONYMI

calicem Christi, & calicem demoniorum. Referam tibi mea infelicitatis historiam. Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis, &, quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi propter celorum me regna castrassem, & Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romae summo studio ac labore confeceram, carere non poteram. itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras uigilias, post lacrymas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis uisceribus eruebat, Plautus fumebatur in manus. Si quando in memet reuersus prophetas legere coepissem, sermo horrebat incultus, & quia lumen caecis oculis non uidebam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme quadragesima medullis infusa febris, corpus inuasit exhaustum: & sine ulla requie (quod dictu quoque incredibile sit) sic infelicia membra depasta est, ut ossibus uix haererem. Interim parantur exequiae, & uitalis animae calor, toto frigescente iam corpore, in solo tantum tepente pectusculo palpitabat: cum subito raptus in spiritu, ad tribunal iudicis pertrahor: ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut, proiectus in terram, sursum aspicere non auderem. In interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui praesidebat, Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter uerbera (nam caedi me iusserat) conscientiae magis igne torquebar, illum mecum uersiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem coepi & eiulans dicere:

Miserere

Psal. 6.

missio

V

Miserere mei domine, miserere mei. hæc uox inter flagella resonabat. Tandem ad præsentis genua prouoluti qui astiterant, precabantur ut ueniam tribueret adolescenti, ut errori locum penitentiae commodaret, exsterturus deinde cruciatum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego, qui in tanto constrictus articulo, uellem etiam maiora promittere, deierare cœpi, & nomen eius obtestans, dicere: Domine si unquam habuero codices sæculares, si legero, te negaui. In hæc sacramenti uerba dimissus, reuertor ad superiores: & mirantibus cunctis, oculos aperio, tanto lacrymarum imbri perfusus, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec uero sopor ille fuerat; aut uana somnia, quibus sæpe deludimur. testis est tribunal illud, ante quod iacui: testis iudicium triste, quod timui, ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæstionem, liuentes me habuisse scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto dehinc studio diuina legisse, quanto non ante mortalia legeram. Auaritiam tibi quoque uitandum est malum, non ut aliena non appetas, (hoc enim & publicæ leges puniunt) sed quo tua, quæ sunt tibi aliena, non serues. Si in alieno, inquit, fideles non fuistis, quod uestrum est quis dabit uobis? Aliena nobis auri argentiq; sunt pondera, nostra possessio spiritalis est. de qua alibi dicitur: Redemptio animæ uiri, propriæ diuitiæ. Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim unum odiet, & alterum amabit: aut unum patietur, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ, id est, diuitiis. nam gentili Syrorum lingua mammona diuitiæ nuncupantur. Cogitatio uitus, spinæ sunt fidei. radix auaritiæ, cura gentilium.

.d. d. d. d.

.d. d. d. d.

.d. d. d. d.

.d. d. d. d.

.d. d. d. d.

Luc. 16.

Prouer. 13.

Matth. 6.

at dicis: Puella sum delicata, & quæ manibus meis la-
 borare non possum. si ad fenestram uenero, si agrotare
 cœpero, quis mei miserebitur? Audi ad Apostolos lo-
 quentem Iesum: Ne cogitatis in corde uestro, quid
 manducetis, neque corpori uestro quid induamini.
 Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm
 uestimentum? Respicite uolatilia cæli, quoniam non
 serunt, neque metunt, neque congregant in horrea;
 & pater uester cælestis pascit illa. Si uestis defuerit, li-
 lia proponantur. si esurieris, audias, Beatos pauperes
 & esurientes. si aliquis te afflixerit dolor, legito: Pro-
 pter hoc cõplaceo mihi in infirmitatibus. et, Datus est
 mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me co-
 laphizet, ne extollar. Latere in omnibus iudiciis Dei.
 Exultauerunt enim filia Iudæ in omnibus iudiciis
 tuis domine. Illa tibi semper in ore uox resonet: Nu-
 dus exiui de utero matris meæ, nudus reuertar. et: Ni-
 hil intulimus in hunc mundum, neque auferre quid pos-
 sumus. At nunc plerasque uideas armaria stipare uesti-
 bus, tunicas mutare quotidie, & tamen tineas non
 posse superare. Quæ religiosior fuerit, unum exerit ue-
 stimentum, & plenis arcis pannos trahit. Inficiuntur
 membranæ colore purpureo, aurum liquefcit in litte-
 ras, gemmis codices uestiuntur, & nudus ante fores
 earum Christus emoritur. Cum manum egenti porre-
 xerint, buccinant. cum ad agapen uocauerint, præco-
 nducitur. Vidi nuper (nomen taceo, ne satyram pu-
 res) nobilissimam Romanorum mulierem in basilica
 beati Petri Apostoli, femiuis antecedentibus, propria
 manu, quo religiosior putaretur, singulos nummos di-
 spertire pauperibus. Interea (ut usu nosse perfacile est)

anus quædam annis pannisq; obsita præcurrit, ut al-
 terum nummum acciperet: ad quam cum ordine per-
 uenisset, pugnus porrigitur pro denario, & tanti cri-
 minis reus sanguis effunditur. Radix omnium malorum
 est auaritia: ideoq; ab Apostolo idolorum seruitus ap- Coloss. 3.
 pellatur. Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia
 apponentur uobis. non occidet dominus fame ani-
 mam iustam. Iunior fui, & senui, & non uidi iustum de-
 relictum, nec semen eius quærens panem. Helias cor-
 uis ministrantibus pascitur. Vidua Sareptana, ipsa cum
 filiis nocte moritura, prophetam pascit esurientem. et
 mirum in modum capface completo, qui alendus ue-
 nerat, alit. Petrus Apostolus inquit: Argentum & au- Act. 3.
 rum non habeo: quod autem habeo, hoc tibi do: In
 nomine domini Iesu surge & ambula. At nunc multi,
 licet sermone taceant, opere loquuntur: Fidem & mise-
 ricordiam non habeo: quod autem habeo, argentum
 & aurum, hoc tibi non do. Habentes autem uictum,
 & uestitum, his contenti simus. Audi Iacob in sua ora- Gen. 28.
 tione quid postulet: Si fuerit dominus meus mecum,
 & serauerit me in uia hac, per quam ego iter facio, &
 dederit mihi panem ad manducandum, & uestitum ad
 uestiendum. Tantum necessaria deprecatus est: & post
 annos uiginti diues dominus, & ditior pater, ad terram
 reuertitur Chanaan. Infinita de scripturis exempla sup-
 peditant, quæ auaritiã docent esse fugiendam. Verum
 quia nunc ex parte de ea dicitur, & suo si, Christus an-
 nuerit, uolumini reseruatur, quid ante non plures an-
 nos Nitriæ gestum sit, referemus. Quidam ex fratribus
 parcior magis quàm auarior, & nesciens triginta argen-
 teis dominum uenditum, centum solidos. quos hinc
 oisano
 texendo

DIVI HIERONYMI

texendo acquisierat, moriens dereliquit. Initum est in
 ter monachos consilium (nam in eodem loco circiter
 quinque millia diuifis cellulis habitabant) quid facto
 opus esset. Alii pauperibus distribuendos esse dicebāt:
 alii dandos ecclesiæ: non nulli parentibus remittēdos.
 Macarius uero, & Pambo, & Isidorus, & ceteri, quos
 patres uocant, sancto in eis loquente spiritu, decreue-
 runt infodiendos esse cum domino suo, dicentes: Pe-
 cunia tua tecum fit in perditionem. Nec hoc crudeliter
 quis putet factum, tantus cunctos per totam Aegyptū
 terror inuasit, ut unum solidum dimisisse, sit criminis.
 Et quoniam monachorum fecimus mentionem, & te
 scio libenter audire, quæ sancta sunt, aurem paulisper
 accommoda. Tria sunt in Aegypto genera mona-
 chorum: Cœnobitæ, quos illi fauses gentili lingua
 uocant, nos in communi uiuentes possumus appellare:
 Anachoritæ, qui solitarii habitant per deserta: & ab eo
 quòd procul ab hominibus recesserint, nuncupantur.
 Tertium genus est, quod Remoboth dicunt, deterri-
 mum atque neglectum, & quod in nostra prouincia aut
 solum, aut primum est. Hi bini, uel terni, nec mul-
 to plures simul habitant, suo arbitratu ac ditione uiuen-
 tes, & de eo, quod laborauerint, in medium partes con-
 ferunt, ut habeant alimenta communia. Habitat autem
 quamplurimi in urbibus & castellis: & quasi ars sit
 sancta, non uita, quidquid uendiderint, maioris est
 pretii. Inter hos sæpe sunt iurgia: quia suo uiuentes ci-
 bo, non patiuntur se alicui esse subiectos. Re uera so-
 lent certare ieiuniis, & ré secreti uictoriæ faciunt. Apud
 hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicætes,
 uestis crassior, crebra suspiria, uisitatio uirginum,
detractio

detractio clericorum : & quando dies festus uenerit , fa-
 turantur ad uomitum . His igitur quasi quibusdam pe-
 stibus exterminatis , ueniamus ad eos , qui plures sunt
 & in commune habitant , id est , quos uocari Cœnobi-
 tas diximus . Prima apud eos confederatio est , obedire
 maioribus : & quidquid dixerint , facere . diuisi sunt
 per decurias atque centurias , ita ut nouem hominibus
 unus decimus præsit ; et rursus decem præpositos sub
 se centesimus habeat . manent separati , sed iunctis cel-
 lulis . Vsque ad horam nonam , ut institutum est , nemo
 pergit ad alium , exceptis his decanis , quos diximus :
 ut si cogitationibus forte quis fluctuat , illius consoletur
 alloquiis . post horam nonam in commune concurrir-
 tur , psalmi resonant , scripturæ recitantur ex more . Et
 completis orationibus , cunctisq; residentibus , me-
 dius , quem patrem uocant , incipit disputare . quo lo-
 quente , tantum silentium fit , ut nemo alium respicere ,
 nemo audeat excreare . dicentis laus , in fletu est au-
 dientium . tacite uoluuntur per ora lacrymæ , & ne in
 singultus quidem erumpit dolor . Cum uero de regno
 Christi , & de futura beatitudine , & de gloria cœperit
 annuntiare uentura , uideas cunctos moderato suspi-
 rio , & oculis ad cælum leuatis , intra se dicere : quis da-
 bit mihi pennas sicut columbæ , & uolabo , & requie-
 scam ? Post hæc concilium soluitur , & unaquæque de-
 curia cum suo parente pergit ad mensam , quibus per
 singulas hebdomadas uicissim ministrant . nullus in
 cibo strepitus , nemo comedens loquitur . uiuitur
 pane , leguminibus , & oleribus , quæ sale solo con-
 diuntur . uinum tantum senes accipiunt , quibus
 cum paruulis sæpe fit prandium , ut aliorum fessa
 sustentetur

sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. De-
 hinc consurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia
 redeunt: ibi usque ad uesperam cum suis unusquisque
 loquitur, & dicit: Vidistis illum & illum? quanta in ipso
 sit gratia? quantum silentium? quàm moderatus ince-
 sus? Si infirmum uiderint, consolantur: si in Dei amo-
 re feruentem, cohortantur ad studium. Et quia nocte
 extra orationes publicas in suo cubiculo unusquisque
 uigilat, circumeunt cellulas singulorum: & aure appo-
 sita, quid faciant diligenter explorant. quem tardio-
 rem deprehenderit, non increpant: sed dissimulato
 quod norunt, eum sæpius uisitant: & prius incipien-
 tes, prouocant magis orare, quàm cogunt. Opus diei
 statum est: quod decano redditum, a decano fertur ad
 œconomum, qui & ipse per singulos menses patri o-
 minium cum magno timore reddit rationem. a quo
 etiam cibi, cum facti fuerint, prægustantur. & quia non
 licet dicere cuiquam: Tunicam & sagum, textaq; iun-
 cis strata non habeo: ille ita uniuersa moderatur, ut
 nemo quod postulet habeat. Si quis uero coeperit ægro-
 tare, transfertur ad exedram latiore: & tanto senum
 ministerio confouetur, ut nec delicias urbium, nec ma-
 tris quærat affectum. Dominicis diebus orationi tan-
 tum & lectionibus uacant: quod quidem & omni tem-
 pore completis opusculis faciunt. quotidie aliquid de
 scripturis discitur. Ieiunium totius anni æquale est,
 excepta quadragesima, in qua solâ conceditur distri-
 ctius uinere. A pentecoste canæ mutantur in prandia,
 quo & traditioni ecclesiasticæ satisfiat, & uentrem ci-
 bo non onerent duplicato. Tales Philo Platonicus ser-
 monis imitator, tales Iosephus, Græcus Liuius, in
 infirmum
 secunda

secunda Iudaicæ captiuitatis historia Effenos refert. Verum quia nunc de uirginibus scribens, pæne superflue de monachis disputauit, ad tertium genus ueniam, quos Anachoritas uocant: qui & de cœnobiis exeuntes, excepto pane & sale, ad deserta nihil perferunt amplius. Huius uitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiora conscendâ, princeps Ioannes Baptista fuit. Talem uirum Hieremias propheta describit, dicens: Bonum est uiro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quoniam sustulit super se iugum: dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis, quia non in sempiternum abiiciet dominus. Horum laborem & conuersationem in carne non carnis, alio tempore, si uolueris, explicabo. nunc ad propositum redeam, quia de auaritia differens ad monachos ueneram. quorum tibi exempla proponens, non dico aurum atque argentum, & ceteras opes, sed ipsam terram & cælum despiciens, Christo copulata cantabis: Pars mea dominus. Post hæc quanquam Apostolus orare nos semper iubeat, & sanctis etiam ipse sit somnus oratio, tamen diuisas orandi horas debemus habere: ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque, & uesperam, nemo est qui nesciat. nec cibus ante sumatur, nisi oratione præmissa: nec recedatur a mēsa, nisi referatur creatori gratia. Noctibus bis terq; surgendū, reuoluēda quæ de scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospicio, armet oratio: regredientibus de platea, oratio occurrat antequam sessio: nec prius corpusculum requiescat, quàm anima pascatur. ad omnem actum, ad omnem

Thren. 3.

1. Theff. 5.

13
DIVI HIERONYMI

- inceffum manus pingat crucem . nulli detrahas , nec
 Rom. 14. aduersus filium matris tuæ ponas scandalum . Tu quæ
 es , ut alienum feruum iudices ? Suo domino stat , aut
 cadit . stabit autem : potens est enim dominus statuere
 illum . nec si biduo ieiunaueris , putes te non ieiunanti-
 bus esse meliorem . tu ieiunas , & irasceris : ille come-
 dit , & forte blanditur . tu uexationem mentis , & uen-
 tris esuriam rixando digeris : ille moderatius alitur , &
 Esa. 58. Deo gratias agit . unde quotidie clamat Esaias ; Non ta-
 le ieiunium elegi dicit dominus . et iterum : In diebus
 ieiunorum uestrorum inueniuntur uoluntates uestræ ,
 & omnes , qui sub uestra potestate sunt , stimulis . In iu-
 diciis & litibus ieiunatis , & percutitis pugnis humilem .
 ut quid mihi ieiunatis ? Quale illud potest esse ieiuniū ,
 cuius iram non dicam nox occupat , sed luna integram
 derelinquit ? Te ipsam considerans , noli in alterius rui-
 na , sed in tuo corpore gloriari . nec illarum tibi exem-
 pla proponas , quæ carnis curam facientes , possessio-
 num reditus , & quotidianas domus impensas suppu-
 tant . neque enim undecim apostoli Iudæ proditione
 sunt fracti : nec Phygelo , & Alexandro facientibus nau-
 fragium , ceteri a cursu fidei substiterunt . Nec dicas , il-
 la & illa suis rebus fruitur , honoratur ab hominibus ,
 fratres ad eam conueniunt & sorores . nunquid ideo uir-
 go esse desit ? Primum dubium est , an uirgo sit talis .
 1. Reg. 16. Non enim quomodo uidet homo , uidet Deus . homo ui-
 det in facie , Deus autem uidet in corde . Dehinc etiam
 si corpore uirgo est , an spiritu uirgo sit , nescio . Apосто-
 1. Cor. 7. lus autem ita uirginē definiuit : Ut sit sancta corpore &
 spiritu . Ad extremum habeat sibi gloriam suam , uincat
 Pauli sententiā , deliciis fruatur & uiuat . nos meliorum
 exempla

DE VIRGINITATE. 82

exempla sectemur. Propone tibi beatam Mariam, quæ tantæ exitit puritatis, ut mater domini esse mereretur. ad quam cum angelus Gabriel in uiri specie descendisset, dicens: Aue gratia plena, dominus tecum; consternata & perterrita respondere non potuit, nunquam enim a uiro fuerat salutata. denique nuntium discit & loquitur. et quæ hominem formidabat, cum angelo fabulatur intrepida. potes & tu esse mater domini. Accipe tibi tomum magnum, nouum, & scribe in eo stilo hominis: uelociter spolia detrahe: & postquam accesseris ad prophetissam, & conceperis in utero, & pepereris filium, dic: A timore tuo domine concepimus, & doluimus, & peperimus spiritum saluationis tuæ, quem fecimus super terram. Tunc & filius tuus tibi respondebit, & dicet: Ecce mater mea & fratres mei. et mirum in modum ille, quem in latitudine pectoris tui paulo ante descripseras, quem in nouitate cordis stilo si gnaueras, postquam spolia ex hostibus receperit, postquam denudauerit principatus & potestates, & affixerit eas cruci, conceptus adolescit, & maior effectus spõsam te incipit habere de matre. Grandis labor, sed grãde premium, esse quod martyres, esse quod apostoli, esse quod Christus est. Quæ quidem uniuersa tunc profunt, cum in ecclesia fiunt, cum in una domo pascha celebramus: si arcam ingredimur cum Noe, si pereunte Hierico, Rahab meretrix iustificata nos continet. Ceterum uirgines, quales apud diuersas hæreses, & quales apud impurissimum Manichæum esse dicuntur, scorta sunt existimandæ, non uirgines. Si enim corporis earum auctor est diabolus, quo modo possunt honorare plasmentationem hostis sui? sed quia sciunt uirginale uo-

Luc. 1.

3. Rom. 8.

Esa. 26.

tabulum gloriosum, sub ouium pellibus lupos tegunt.
 Christū mentitur antichristus, & turpitudinē uitæ falso
 nominis honore conuestiunt. Gaude soror, gaude filia,
 gaude mi uirgo: quia quod aliæ simulant, tu uere esse
 coepisti. Hæc omnia quæ digessimus, dura uidebuntur
 ei, quæ non amat Christū. qui autem omne sæculi pom-
 pam pro purgamento habuerit, & uana duxerit uniuer-
 sa sub sole, ut Christum lucrifaciat: qui commortuus
 est domino suo, & surrexit, & crucifixit carnē cum
 uitiiis & concupiscentiis, libere proclamabit: *Quis nos
 separabit a caritate Christi? an tribulatio? an angustia?
 an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum?
 an gladius? et iterum: Certus sum, quia neque mors,
 neque uita, neque angelus, neque principatus, neque
 potestates, neque instantia, neque futura, neque for-
 titudo, neque excelsum, neque profundum, neque a-
 lia creatura poterit nos separare a caritate Dei, quæ est
 in Christo Iesu domino nostro. Dei filius pro nostra sa-
 lute hominis factus est filius: nouem mensibus in utero
 ut nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egredi-
 tur, pannis inuoluitur, blandiciis delinitur: & ille pu-
 gillo mundum includens, præsepis continetur angu-
 stiis. Taceo quòd usque ad triginta annos ignobilis,
 parentum paupertate contentus est: uerberatur, & ta-
 cet: crucifigitur, & pro crucifigentibus deprecatur.
 quid igitur retribuam domino pro omnibus, quæ re-
 tribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen
 domini inuocabo. pretiosa in conspectu domini mors
 sanctorum eius. Hæc est sola digna retributio, cum san-
 guis sanguine compensatur, & redempti cruore Chri-
 sti, pro redemptore libenter occumbimus.* *Quis san-*
ctorum

etorum sine certam ine coronatus est? Abel iustus occi-
 ditur: Abraam uxorem periclitatur amittere. Et ne in-
 immensum uolumen extendam, quære & inuenies sin-
 gulos aduersa perpeffos. Solus in deliciis Salomon fuit,
 & forsitan ideo corruit. quem enim diligit dominus, Heb. 12.
 corripit. castigat autem omnem filium quem recipit.
 Non ne melius est breui tempore dimicare, ferre ual-
 lum, arma sumere, lassescere sub lorica, & postea gau-
 dere uictorem, quam impatientia unius horæ seruire
 perpetuo? Nihil amantibus durum est, nullus diffi-
 cili cupientibus labor. Respice quanta Iacob pro Rachel
 pacta uxore sustinuit: Et seruiuit, inquit scriptura, Iac-
 cob pro Rachel annis septem. et erant in conspectu
 eius quasi dies pauci, quoniam amabat illam. Vnde &
 ipse postea memorat: In die urebar æstu, & gelu nocte.
 Amemus & nos Christum, eiusque semper quæramus
 amplexus, & facile uidebitur omne difficile: breuia pu-
 tabimus uniuersa quæ longa sunt: & iaculo illius uulne-
 rati, per horarum momenta dicemus: Heu me, quia
 peregrinatio mea prolongata est a me. Non sunt enim
 condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã,
 quæ reuelabitur in nobis. Quia tribulatio patientiam
 operatur, patientia autem probationem, probatio ue-
 ro spem, spes autem non confundit, quoniam caritas
 Dei diffusa est in cordibus nostris. Quando tibi graue
 uidetur esse quod sustines, Pauli secundam epistolam
 ad Corinthios lege: In laboribus plurimum, in carce-
 ribus abundantius, in plagis supra modum, in morti-
 bus frequenter. a Iudæis quinquies quadragenas una-
 minus accepi, ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus
 sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo
 maris

Heb. 12.

Gen. 29.

Gen. 31.

Psal. 119.

Rom. 8

Rom. 5.

Cap. 11.

8
DIVI HIERONYMI

maris fui . In itineribus sæpius periculis fluminum ,
 periculis latronum , periculis ex genere , periculis
 ex gentibus , periculis in ciuitate , periculis in deser-
 to , periculis in mari , periculis in falsis fratribus , in
 laboribus , in miseris , in uigiis multis , in fame
 & siti , in ieiuniis plurimis , in frigore & nuditate .
 Quis nostrum saltem minimam portionem de catalago
 harum sibi potest uindicare uirtutum ? ob quæ ille
 1. Tim. 4. postea confidenter aiebat : Bonum certamen certauì ,
 cursum consumaui , fidem seruaui . superest mihi coro-
 na iustitiæ , quam retribuet mihi in illa die dominus iu-
 stus iudex . Si cibus insulsior fuerit , contristamur : &
 putamus Deo nos aliquod præstare beneficium , cum
 aquatius uinum bibimus . calix frangitur , mensa sub-
 uertitur , uerbera resonant , & aqua tepidior sanguine
 uindicatur . Regnum cælorum uim patitur , & uiolenti
 Math. 11. rapiunt illud . Nisi uim feceris , cælorum regna non ca-
 pies . nisi pulsaueris importune , panem non accipies sa-
 cramenti . An non tibi uidetur uiolentia , cum caro cu-
 pit esse quod Deus est : & illuc , unde angeli corruerunt ,
 angelos iudicatura conscendit ? Egredere quæso pauli-
 sper de carcere , & præsentis laboris ante oculos tuos ti-
 bi pingere mercedem , quam nec oculus uidit , nec auris
 audiuit , nec in cor hominis ascendit . Qualis erit illa
 dies , cum tibi Maria mater domini choris occurret co-
 mitata uirginis ? cum post rubrum mare submerso cū
 suo exercitu Pharaone , tympanum tenens præcinet
 responsuris : Cantemus domino , gloriose enim hono-
 rificatus est : equum & ascensorem proiecit in mare .
 Tunc Thecla in tuos læta uolabit amplexus . tunc &
 ipse sponsus occurret , & dicet : Surge , ueni proxima
 mea,

mea, sponsa mea, columba mea: quia ecce hyems tran-
 sivit, pluuia abiit sibi. Tunc angeli mirabuntur, & di-
 cent: Quæ est ista proficiscens quasi diluculum, specio- Cant. 6.
 sa ut luna, electa ut sol? Videbunt te filia, & laudabunt
 reginæ, & concubinæ prædicabunt. Hinc & alius casti-
 tatis chorus occurret: Sara cum nuptis ueniet: filia
 Phanuelis Anna cum uiduis. Erunt in diuersis gregi-
 bus carne & spiritu matres tuæ. Lætabitur illa quod ge-
 nuit: exultabit ista quod docuit. Tunc uere super asi-
 nam dominus ascendet, & caelestem ingredietur Hieru-
 salem. tunc paruuli, de quibus in Esaia saluator effa-
 tur: Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus, palmas Esa. 8.
 uictoriæ subleuantes, consono ore cantabunt: Osanna
 in excelsis: Benedictus qui uenit in nomine domini,
 osanna in excelsis. Tunc centum quadragintaquatuor Apoc. 14.
 millia in conspectu throni & seniorum tenebunt citha-
 ras, & cantabunt canticum nouum, et nemo poterit
 dicere canticum illud, nisi numerus definitus. hi sunt
 qui cum mulieribus se non coinquinauerunt, uirgines
 enim permanserunt. hi sunt qui sequuntur agnum quo-
 cunque uadit. Quotiescunque te uana sæculi delecta-
 uerit ambitio, quoties in mundo aliquid uideris glo-
 riosum, ad paradisum mente transgredere, esse incipe
 quod futura es, & audies a sponso tuo: Pone me sicut Cant. 8.
 signaculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio
 tuo, & corpore pariter ac mète munita clamabis: Aquæ
 multæ non potuerunt extinguere caritatem, & flumi-
 na non operient eam.

DE VIRGINITATE
DIVI AVRELII AVGVSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI, LIBER

DE SANCTA VIRGINITATE.

LIBRVM de bono coniugali nuper edidimus, in quo etiam Christi uirgines admonuimus atque monemus, ne propter excellentiam muneris amplioris, quod diuinitus acceperunt, contemnāt in sui comparatione patres & matres populi Dei, hominesq; illos quos tanquam oliuam cōmendat Apostolus, ne superbiat insertus oleaster: & eos, qui uenturo Christo etiam in filiorum propagatione seruiebant, ideo meriti inferioris esse arbitrentur, quia iure diuino continentia connubio, & nuptiis pia uirginitas anteponitur. In illis quippe parabantur & parturiebantur futura, quæ nunc impleri mirabiliter & efficaciter cernimus, quorum etiam uita coniugalis profetica fuit: unde non consuetudine humanorum uotorum atque gaudiorum, sed ualde profundo consilio Dei, in quibusdam eorum fecunditas honorari, in quibusdam etiam fecundari sterilitas meruit. Hoc uero

1. Cor. 7. tempore quibus dictum est, Si se non continent, nubāt, non adhibenda est exhortatio sed consolatio. Quibus

Matth. 19. autem dictum est, Qui potest capere capiat, exhortandi sunt ne terreantur, & terrendi ne extollantur. Non solum ergo prædicanda est uirginitas ut ametur, uerum etiam monenda ne infletur. Hoc isto sermone suscepimus. adiuuet Christus uirginis filius, uirginū sponfus, uirginali utero corporaliter natus, uirginali connubio

1. Cor. 11. spiritualiter coniugatus. Cum ipsa igitur uniuersa Ecclesia uirgo sit desponsata uni uiro Christo, sicut dicit

Apostolus

Apostolus, quāto digna sunt honore mēbra eius, quā hoc custodiūt, etiā in ipsa carne, quod tota custodit in fide, quā imitatur matrem uiri & domini sui? nam Ecclesia quoque & uirgo & mater est. cuius enim integritati consulimus, si uirgo non est? aut cuius prolē alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Ecclesia spiritaliter membra illius capitis parit. In utraque uirginitas fecunditatem non impedit, in utraque fecunditas uirginitatem non adimit. Proinde cum Ecclesia uniuersa sit sancta, & corpore & spiritu, nec tamen uniuersa sit corpore uirgo, sed spiritu, quanto sanctior est in his membris, ubi uirgo est & corpore & spiritu? Scriptum est in euangelio, quod mater & fratres Christi, hoc est, consanguinei carnis eius, cum illi nuntiati fuissent, & foris expectarent, quia non possent eum adire præ turba, ille respondit, Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos ait, Hi sunt fratres mei, & quicumque fecerit uoluntatem patris mei, ipse mihi frater, & mater, & soror est. Quid aliud nos docens, nisi carnali cognitioni genus nostrum spiritale præponere, nec inde beatos esse homines, si iustis, & sanctis carnis propinquitate iunguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando cohærescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi quàm concipiendo carnem Christi. Nā & dicenti cuidam, Beatus uenter qui te portauit: ipse respondit, Luc. II. Immo beati qui audiunt uerbum Dei & custodiunt. Denique fratribus eius, id est secundum carnem cognatis, qui non in eū crediderunt, quid profuit illa cognatio? sic & materna propinquitatis nihil Mariæ profuisset,

Matth. 12.

Luc. II.

nisi felicius Christum corde quàm carne gestasset. Ipsa quoque uirginitas eius ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus uiro uiolaturum quam conseruaret ipse præripuit, sed priusquàm conciperetur iam Deo dicatam de qua nasceretur elegit. Hoc indicant uerba quæ sibi fetum annuntianti angelo Maria reddidit.

Luc. i. Quo modo, inquit, fiet istud, quoniam uirum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo uirginem se ante uouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est uiro iusto, non uiolenter ablaturum, sed potius contra uiolentos custodituro, quod illa iam uouerat. Quanquam etiam si hoc solum dixisset, Quo modo fiet istud, nec addidisset, quoniã uirum non cognosco: non quæsisset utique, promissum sibi filium quo modo femina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & iuberi uirgo permanere, in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet: sed exemplo sanctis futura uirginibus ne putaretur sola uirgo esse debuisse, quæ prole etiã sine concubitu concipere meruisset, (uirginitatem Deo dicauit, cum adhuc quid esset conceptura nesciret,) ut in terreno mortaliq; corpore, cælestis uitæ imitatio, uoto fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiendi: ita Christus nascendo de uirgine, quæ antequàm sciret quis de illa fuerat nasciturus, uirgo statuerat permanere, uirginitatem sanctam approbare maluit quàm imperare. Ac sic etiam in ipsa femina, in qua formam serui accepit, uirginitatem esse liberam uoluit. Non est ergo cur Dei uirgines contristentur, quòd etiam ipsæ uirginitate seruata matres carnis esse non possunt. Illum enim solum uirginitas decenter parere posset, qui
in

in sua natiuitate parem habere non posset. Veruntamē ille unius sanctæ uirginis partus, omniū sanctarum uirginū est decus. Et ipsæ cum Maria matres Christi sunt, si patris eius faciunt uoluntatem. Hinc enim & Maria laudabilius atque beatius Christi mater est, secundum supra memoratam eius sententiam: Quicumque facit uoluntatē patris mei qui in cælis est, ipse mihi frater, & soror, & mater est. Has sibi omnes propinquitates in populo quē redemit spiritaliter exhibet, fratres & sorores, habet sanctos uiros & sanctas feminas, quoniam sunt illi in cælesti hereditate coheredes. Mater eius est tota Ecclesia, quia membra eius, id est fideles eius per Dei gratiam ipsa utique parit. Item mater eius est omnis anima pia, faciens uoluntatem patris eius secundissima caritate, in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur. Maria ergo faciens uoluntatem Dei, corporaliter Christi tantūmodo mater est, spiritaliter autē & soror & mater. Ac per hoc illa una femina, non solum spiritu, uerū etiam corpore & mater est, & uirgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse saluator, ex quo illa magis spiritaliter nata est, quia omnes, qui in eum crediderint, in quibus & ipsa est, recte filii sponsi appellantur: sed plane mater membrorum eius quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt: corpore uero mater ipsius capitis. oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de uirgine, quo significaret membra sua de uirgine Ecclesia secundum spiritum nascitura. Sola ergo Maria & spiritu & corpore & mater & uirgo, & mater Christi & uirgo Christi: Ecclesia uero in sanctis regnū

Matth. 12.

Gal. 4.

Dei possessuris, spiritu quidē tota mater Christi est, to-
 ta uirgo Christi : corpore autem non tota, sed in qui-
 busdam uirgo Christi : in quibusdam mater, sed non
 Christi. Et coniugata quippe fideles feminae, & uirgi-
 nes Deo dicatae, sanctis moribus & caritate, de corde
 puro & conscientia bona, & fide non ficta, quia uolun-
 tatem patris faciunt, Christi spiritaliter matres sunt.
 quae autem coniugali uita corporaliter pariunt, non
 Christum, sed Adam pariunt. et ideo currunt ut sacra-
 mentis imbuti Christi membra fiant partus earum, quo
 niam quid peperint norunt. Hoc dixi ne forte audeat
 fecunditas coniugalis cum uirginali integritate conten-
 dere, atque ipsam Mariam praepone, ac uirginibus
 Dei dicere, Illa in corpore duas res habuit honoran-
 das, uirginitatem, & fecunditatem, quia & integra per-
 mansit, & peperit. hanc felicitatem, quoniam totam u-
 traque habere non potuimus, partita sumus, ut uos si-
 tis uirgines, nos simus matres : uobis quod desit in pro-
 le, consoletur seruata uirginitas : nobis pro proliis lucro
 amissa compensetur integritas. Hae uox fidelium con-
 iugarum ad sacras uirgines utcumque ferenda esset, si
 Christianos corpore parerent, ut hoc solo esset Mariae fe-
 cunditas carnis, excepta uirginitate praestantior, quod
 illa ipsum caput horum membrorum, haec autem mem-
 bra illius capitis procrearent. Nunc uero etiam si tales
 hac uoce contendant, quae ob hoc tantum uiris iungun-
 tur atque miscentur, ut filios habeant, nihilque aliud de
 filiis cogitant, nisi ut eos Christo lucrentur, atque id
 mox ut potuerint faciunt, non tamen Christiani ex ea-
 rum carne nascuntur, sed postea fiunt, Ecclesia parien-
 te per hoc, quo membrorum Christi spiritaliter mater est,
 cuius

cuius etiam spiritaliter uirgo est. Cui sancto partui cooperantur & matres, quæ non Christianos corpore pepererunt, ut fiant quod se corpore parere nõ potuisse noverunt: per hoc tamen cooperantur ubi & ipsæ uirgines matresq; Christi sunt, in fide scilicet, quæ per dilectionem operatur. Nulla ergo (carnis) fecunditas sanctæ uirginitati etiam carnis comparari potest. Neque enim & ipsa quia uirginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur. Ac per hoc spiritalis est etiam uirginitas corporis, quam uouet & seruat continentia pietatis. Sicut enim nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia: ita nemo pudicitiam seruat in corpore, nisi spiritu prius insita castitate. Porro autem si pudicitia coniugalis quamuis custodiatur in carne, animo tamen non carni tribuitur, quo præside atque rectore, nulli præter proprium coniugium caro ipsa miscetur: quanto magis quantoq; honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi creatori animæ & carnis uouetur, consecratur, seruatur? Nec illarum ergo fecunditas carnis, quæ hoc tempore nihil aliud in coniugio quàm prolem requirunt, quam mancipent Christo, pro amissa uirginitate compensari posse credenda est. Prioribus quippe temporibus uenturo secundum carnem Christo, ipsum genus carnis in ampla quadam & prophetica gente necessarium fuit. nunc autem cum ex omni hominum genere, atque omnibus gentibus ad populum Dei, & ciuitatem regni calorum membra Christi colligi possint, sacram uirginitatem qui potest capere capiat: & ea tantum quæ se non continet

Gal. 5.

Matth. 16.

1. Cor. 7.

D I V I A V G V S T I N I

tinet nubat. Quid enim si aliqua mulier diues multam pecuniam huic bono operi impendat, ut emat ex diuersis gentibus seruos, quos faciat Christianos? nonne uberius atque numerosius quàm uteri quantalibet feracitate Christi membra gignenda curabit? Nec ideo tamen pecuniam suam comparare muneri sacrae uirginis audebit. At si propter faciendos qui nati fuerint Christianos, fecunditas carnis pro amissa uirginitate merito compensabitur, fructuosius erit hoc negotium, si magno pecuniario pretio uirginitas amittatur, quo pueri faciendi Christiani multo plures emantur, quàm unius utero quamlibet fertili nascerentur. quod si stultissime dicitur, habeant fideles nuptæ bonum suum, de quo in alio uolumine quantum uisum est differuimus: & honorent amplius sicut rectissime consueuerunt in sacris uirginibus melius earum, de quo isto sermone differimus. Nam ne illo quidem debent continentium meritis se conferre coniugia, quòd ex eis uirgines procreantur: hoc enim non coniugii bonum est, sed naturæ, quæ sic diuinitus instituta est, ut ex quolibet humano utriusque sexus concubitu, siue ordinato & honesto, siue turpi & illicito, nulla femina nisi uirgo nascatur, nulla tamen sacra uirgo nascitur: ita fit ut uirgo nascatur etiam de stupro, sacra autem uirgo nec de coniugio. Nec nos hoc in uirginibus prædicamus, quòd uirgines sunt, sed quòd Deo dicatæ pia continentia uirgines. Nam quod non temere dixerim, felicior mihi uideatur nupta mulier, quàm uirgo nuptura: habet enim iam illa quod ista adhuc cupit, pæsertim si nondum uel sponsa cuiusquam sit. Illa studet uni placere cui data est, hæc multis incerta cui danda est: hoc uno

pudi-

pudicitiam cogitationis defendit a turba, quòd non adulterum, sed maritum quærit in turba. Illa igitur uirgo coniugatae merito præponitur, quæ nec multitudi-
 ni se amandam proponit, cum amorem unius ex multitudine inquit: nec se uni iam componit inuen-
 to, cogitans quæ sunt mundi, quo modo placeat uiro: sed speciosum forma præ filiis hominum sic amauit, ut
 quia eum sicut Maria concipere carne non possit, ei cor de concepto etiam carnem integram custodiret. Hoc 1. Cor. 7.
 genus uirginum nulla corporalis fecunditas protulit. Psal. 44.
 Non est hæc proles carnis & sanguinis. si harum quæ-
 ritur mater, Ecclesia est. Non parit uirgines sacras nisi
 uirgo sacra, uirgo illa quæ desponsata est uni uiro casta
 exhiberi Christo. Ex illa non rota corpore, sed tota uir-
 gine spiritu nascuntur sacrae uirgines & corpore & spiri-
 tu. 2. Cor. 12.
 Habeant coniugia bonum suum, non quia filios pro-
 creant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia
 socialiter procreant, & procreatos pariter, salubriter,
 instanter educant, quia thori fidem inuicem seruant,
 quia sacramentum connubii non uiolant. Hæc tamen
 omnia humani officii sunt munera, uirginalis autem
 integritas & per piam continentiam ab omni concu-
 bitu immunitas, angelica portio est, & in carne corru-
 ptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic
 omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis:
 illa non est in potestate, illa non est in æternitate. Fe-
 cunditatem carnalem non habet liberum arbitrium,
 pudicitiam coniugalem non habet cælum. Profecto ha-
 bebunt magnum aliquid præter ceteros in illa commu-
 ni immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in
 carne. Vnde mirabiliter desipiunt, qui putant huius
conti-

cōtinentiæ bonum non esse necessarium propter regnū
 cælorum, sed propter præsens sæculum: quod scilicet
 coniugia terrenis curis pluribus atque arctioribus distē
 duntur, qua molestia uirgines & continentes carent:
 quasi ob hoc tātum melius sit non coniugari, ut huius
 temporis relaxentur angustia, non quòd in futurum sæ
 culum aliquid proficit. Hanc uanam sententiã ne cordis
 propria uanitate protulisse uideantur, adhibent ex Apo
 stolo testimonium ubi ait, De uirginibus autem præce
 ptum domini non habeo, consilium autem do, tanquã
 misericordiam consecutus a Deo, ut fidelis essem. Exi
 stimo itaque hoc bonum esse propter præsentem neces
 sitatem, quia bonum est homini sic esse. Ecce inquit,
 ubi manifestat Apostolus hoc propter præsentem ne
 cessitatem bonum esse, non propter futuram æternita
 tem: quasi præsentis necessitatis rationem haberet Apo
 stolus, non prouidens & consulens in futurum, cum
 omnis eius dispensatio non nisi ad uitam æternam uo
 cet. Præsens ergo est uitanda necessitas, sed tamen quæ
 aliquid bonorum impedit futurorum. Qua necessitate
 uita cogitur conjugalis cogitare quæ mundi sunt, quo
 modo placeat uir uxori, uel uxor uiro: non quòd ea se
 parent a regno cælorum, sicut sunt peccata, quæ ideo
 præcepto, non consilio prohibentur, quia domino præ
 cipienti non obedire damnabile est: sed illud quod in
 ipso Dei regno amplius haberi posset, si amplius cogi
 taretur quo modo placendum esset Deo, minus erit u
 tique, cum hoc ipsum minus cōiugii necessitate cogita
 tur. Ideo de uirginibus, inquit, præceptum domini
 non habeo. Præcepto enim quisquis non obtemperat,
 reus est & debitor pœnæ. Proinde quia uxorem ducere
 uel

uel nubere peccatum non est, si autem peccatum esset
 præcepto uetaretur, propterea præceptum domini de
 uirginibus nullum est. Sed quoniam deuitatis re-
 missiue peccatis, adeunda est uita æterna, in qua est
 quædam egregia gloria, non omnibus in æternum
 uicturis, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequen-
 dæ parum est liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi
 liberatori uoueat, quod non sit criminis non uouisse,
 sed uouisse ac reddidisse sit laudis. Consilium, inquit, 1. Cor. 7.
 do tanquam misericordiam consecutus a Deo, ut fide-
 lis essem. Neque enim inuidere debeo fidele consiliū,
 qui non meis meritis, sed Dei misericordia sum fidelis.
 Existimo itaque hoc bonum esse propter præsentem ne-
 cessitatem. Hoc est, inquit, unde præceptum domini nõ
 habeo, sed consilium do, hoc est, de uirginibus existi-
 mo bonum esse propter præsentem necessitatem. Noui
 enim quid præsentis temporis, cui coniugia seruiunt,
 necessitas cogat, ut ea quæ Dei sunt minus cogitentur,
 quàm sufficit adipiscendæ illi gloriæ, quæ nõ erit omni-
 um quamuis in æterna uita ac salute manentium. Stella 1. Cor. 15.
 enim ab stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuo-
 rum. Bonum est ergo homini sic esse. Deinde adiungit 1. Cor. 7.
 idem Apostolus & dicit: Alligatus es uxori, ne quæ- 1. Cor. 7.
 seris solutionem: solutus es ab uxore, ne quæseris uxo-
 rem. Horum duorum quod prius posuit, ad præceptū
 pertinet, contra quod non licet facere. Non enim licet
 dimittere uxorem nisi ex causa fornicationis, sicut in Matth. 5.
 Euangelio dominus dicit. Illud autem quod addidit,
 Solutus es ab uxore, ne quæseris uxorem: consilii sen- 1. Cor. 7.
 tentia est, non præcepti: licet itaque facere, sed melius
 est non facere. Denique continuo subiecit, Et si accepe-

ris uxorem non peccasti, & si nupserit uirgo non peccat. Illud autem prius cum dixisset, Alligatus es uxori ne quæsieris solutionem: nunquid addidit, & si solueris non peccasti? Iam enim supra dixerat, His autem qui sunt in coniugio præcipio, non ego sed dominus, uxorem a uiro nõ discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari: fieri enim potest ut non sua culpa, sed mariti discedat. Deinde ait; Et uir uxorem ne dimittat: quod nihilominus ex præcepto domini posuit, nec ibi addidit, & si dimiserit nõ peccat. præceptum est enim hoc, cui non obedire peccatum est, non consilium: quo si uti nolueris, minus boni adipisceris: non mali aliquid perpetrabis. Propterea cum dixisset, Solutus es ab uxore ne quæsieris uxorem, quia non præcipiebat ne malum fieret, sed consulebat ut melius fieret: continuo subiunxit, Et si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit uirgo non peccat. Addidit tamen, Tribulationem autem carnis habebunt eiusmodi. Ego autem uobis parco: hoc modo exhortans ad uirginitatem continentiamq; perpetuam, ut aliquantulum a nuptiis etiam sic deterreret, modeste sane, non tanquam a re mala & illicita, sed tanquam ab onerosa ac molesta. Aliud enim est admittere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem. Illud est criminis facere, hoc laboris est pati, quem plerunque homines etiam pro officiis honestissimis non recusant: sed pro habendo coniugio iam hoc tempore, quo non per carnis propaginem uenturo Christo ipsius prolis propagatione seruitur, istam tribulationem carnis, quam nupturis prædicit Apostolus, suscipere tolerandã perstultum esset, nisi metueretur incontinentibus, ne
tentante

tentante fatana in peccata damnabilia laboretur. Quòd
 autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem car-
 nis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quàm
 eum noluisse aperire & explicare uerbis eandem ipsam
 carnis tribulationem, quam prænuntiauit eis, qui eli-
 gunt nuptias, in suspitionibus zeli coniugalis, in pro-
 creandis filiis atque nutriendis, in timoribus & maro-
 ribus orbitatis: quotus enim quisque cum se connubii
 uinculis alligauerit, non istis trahatur atque agitetur af-
 fectibus? quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis
 nõ parcamus, quibus parcendū existimauit Apostolus.
 Tantum per hoc quod breuiter posui, cautū fieri lecto-
 rem oportuit aduersus eos, qui in hoc quod scriptum
 est, Tribulationem autem carnis habebunt eiusmodi, 1. Cor. 7.
 ego autem uobis parco: nuptiis calumniantur, quòd
 eas ex obliquo sententia ista damnauerit, uelut ipsam
 damnationem noluerit dicere, cum ait, Ego autem uo-
 bis parco: ut uidelicet cum istis parcit, animæ suæ non
 pepercerit, si mentiendo dixit, Et si acceperis uxorẽ nõ
 peccasti, & si nupserit uirgo non peccat. quod qui de
 sancta scriptura credunt uel credi uolunt, tanquam uia
 sibi muniunt ad mentiendi licentiam, uel ad defensio-
 nem suæ peruersæ opinionis ubicunque aliud sentiunt
 quàm sana doctrina postulat: si quid enim manifestum
 de diuinis libris prolatum fuerit, quo eorum confuten-
 tur errores, hoc ad manum habent uelut scutum, quo
 se aduersus caritatem quasi tuentes nudent a diabolo
 uulnerandos, ut dicant hoc, auctorem libri non uerum
 dixisse, alias ut infirmis parceret, alias ut contempto-
 res terreret: sicut occurrerit causa, qua eorum peruersa
 sententia defendatur: atque ita dum ea, quæ opinantur,

defendere quàm corrigere malūt, scripturarum sancta-
rum auctoritatem frangere conantur, qua una omnes
ceruices superbæ duræque franguntur. Vnde sectatores
& sectatrices perpetuæ continentia, & sacra uirginitatis
admoneo, ut bonum suum ita præferant nuptiis, ne
malum iudicent nuptias: neque fallaciter, sed plane
ueraciter ab Apostolo dictum nouerint: Qui dat ad nu-
ptum, bene facit: qui non dat ad nuptum, melius facit.
Et si acceperis uxorem, non peccasti: & si nupserit uir-
go, non peccat. Et paulo post, Beatior autem erit si sic
permanerit, secundum meam sententiam. Et ne hu-
mana sententia putaretur, adiungit: Puto autem quòd
& ego spiritum Dei habeam. Hæc dominica, hæc apo-
stolica uerba, hæc sana doctrina est, sic eligere dona
maiora, ne minora damnentur. Melior est in scriptura
Dei ueritas Dei, quàm in cuiusquã mente & carne uir-
ginitas hominis. Quod castum est sic ametur, ut quod
uerum est non negetur. Nam quid mali non possunt
etiam de sua carne cogitare, qui credunt apostolicam
linguam in eo ipso loco, ubi uirginitatem corporis com-
mendat, a corruptione mendacii uirginem non fuisse?
Primitus ergo ac maxime qui bonum uirginitatis eli-
gunt, scripturas sanctas firmissime teneant nihil esse men-
titas. Ac per hoc etiam illud uerum esse, quod dictum
est, Et si acceperis uxorem, non peccasti: & si nupserit
uirgo, non peccat. Nec putent minui tam magnum in-
tegritatis bonum, si nuptiæ non erunt malum. Immo
uero hic sibi potius maioris gloriæ palmam præparatam
esse confidant, quàm nõ damnari si nubere timuerūt,
sed honoratius coronari, quia non nubere concupie-
runt. Qui ergo sine coniugio permanere uoluerint, non
tanquam

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

11 3

tanquam foueã peccati nuptias fugiant, sed tanquã col-
 lem minoris boni transcendant, ut in maioris continen-
 tiã monte requiescant. Ea quippe lege collis iste inha-
 bitatur, ut non cum uoluerit quis emigret. Mulier enim
 alligata est quamdiu uir eius uiuit. Veruntamen ad con-
 tinentiam uidualem ab ipso tanquam gradu conscendi-
 tur: propter uirginalem uero uel declinandus est non
 consentiendo petitoribus, uel transfiliendus præuenien-
 do petitores. Ne quis autem putaret duorum operum
 boni atque melioris æqualia fore præmia, propterea cõ-
 tra eos differendum fuit, qui, quod ait Apostolus, Exi-
 stimo autem hoc bonum esse propter præsentem necessi-
 tatem; ita interpretati sunt, ut non propter regnum cæ-
 lorum, sed propter sæculum præsens uirginitatem uti-
 lem dicerent, tanquam in illa uita æterna nihil ceteris
 amplius habituri essent, qui in hoc melius elegissent. In
 qua disputatione cum ad illud ueniremus, quod idem
 Apostolus ait, Tribulationem autem carnis habebunt
 huiusmodi, ego autem uobis parco: in alios litigato-
 res incurrimus, qui non æquales perpetuæ continen-
 tiæ nuptias facerent, sed eas omnino damnarent. Nam
 cum error uterque sit uel æquare sanctæ uirginitati nu-
 ptias, uel damnare, nimis inuicem fugiendi duo isti er-
 rores aduersa fronte conflagunt, quia ueritatis medium
 tenere noluerunt: quo & certa ratione, & sanctarum
 scripturarum auctoritate, nec peccatum nuptias esse
 inuenimus, nec eas bono uel uirginalis continen-
 tiæ, uel etiam uidualis æquamus. Alii quippe appeten-
 do uirginitatem nuptias tanquam adulterium detestan-
 das esse putauerunt. alii uero defendendo connubium,
 excellentiam perpetuæ continentia nihil mereri ani-
 plus

D I V I A V G V S T I N I

Dan. 13. plius quàm coniugalem pudicitiam uoluerunt : quasi
 Luc. 1. uel Susannæ bonum , Mariæ sit humiliatio : uel Mariæ
 1. Cor. 7. maius bonum , Susannæ debeat esse damnatio . Absit
 ergo ut ita dixerit Apostolus nuptis siue nupturis : Ego
 autem uobis parco : tanquam uoluerit dicere , quæ pœ-
 na coniugatis in futuro sæculo debeat . Absit ut a Da-
 niele de temporali iudicio liberatam , Paulus mittat in
 gehenam . Absit ut maritalis thorus ei pœna sit ante tri-
 bunal Christi , cui fidem seruando elegit sub falsa accu-
 satione adulterii , uel periclitari , uel mori . Quid egit
 Dan. 13. uox illa , Melius est mihi incidere in manus uestras ,
 quàm peccare in conspectu Dei : si Deus eam fuerat nõ
 quia pudicitiam nuptialem seruabat liberaturus , sed
 quia nupserat damnaturus ? Et nunc quotiens castitas
 cõiugalis aduersus calūniatores criminatoresq; nuptia-
 rum scripturæ sanctæ ueritate munitur , totiens a Spiritu
 sancto contra falsos testes Susanna defenditur , totiens
 a falso crimine liberatur , & multo maiore negotio .
 Tunc enim coniugata , nunc omnibus . Tunc de occulto
 & falso adulterio , nũc de uero & manifesto cõnubio
 crimẽ intenditur . Tũc una mulier ex eo quod iniqui se-
 niores dicebãt , nũc omnes mariti & uxores ex eo quod
 Apostolus dicere noluit accusantur . Damnationẽ quip-
 pe uestram inquirunt , tacuit cum ait , Ego autem uobis
 1. Cor. 7. parco . Quis hoc ? nempe ille qui superius dixerat , Si
 acceperis uxorem non peccasti , & si nupserit uirgo non
 peccat . Cur igitur in eo quod modeste tacuit , coniu-
 giorum suspicamini crimen : & in eo quod aperte dixit ,
 coniugiorum non agnoscitis defensionem ? An eos
 damnat tacitus , quos locutus absoluit ? Non ne iam mi-
 tius accusatur Susanna non de coniugio , sed de ipso adul-
 adul-

adulterio, quàm doctrina Apostolica de mendacio? Quid in tanto periculo faceremus, nisi tam certum apertumq; esset pudicas nuptias non debere damnari, quàm certum apertumq; est sanctam scripturam non posse mentiri? Hic dicet aliquis, quid hoc pertinet ad sanctam uirginitatem, uel perpetuam continentiam, cuius prædicatio isto sermone suscepta est? Cui respondeo, primo quod superius commemorauimus, ex hoc gloriam maioris illius boni esse maiorem, quod eius adipiscendæ causa bonum coniugale transcenditur, non peccatum coniugii deuitatur. alioquin perpetuæ continentia bonum non præcipue laudari, sed tantum non uituperari sufficeret: si propterea teneretur, quoniam nubere crimen esset. Deinde quia non humana sententia, sed diuinæ scripturæ auctoritate ad tam excellens donum homines exhortandi sunt, non mediocriter neque prætereunter agendum est, ne cuiquam ipsa diuina scriptura in aliquo mentita uideatur. Dehortantur enim potius quàm exhortantur uirgines sacras, qui eas sic permanere nuptiarum damnatione compellunt. Vnde enim confidunt uerum esse, quod scriptum est: Et qui non dat ad nuptum, melius facit, si falsum putant esse quod iuxta superius nihilominus scriptum est: Et qui dat uirginem suam, bene facit. Si autem loquenti scripturæ de nuptiarum bono indubitanter crediderint, eadem cælestis eloquii ueracissima auctoritate firmata, ad melius suum feruenti ac fidenti alacritate transcurrant. Vnde iam satis pro suscepto negotio diximus, & quantum potuimus demonstrauiimus: nec illud quod ait Apostolus, Existimo autem hoc bonum esse propter præsentem necessitatem, sic esse accipiendum, tanquam

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

D I V I A V G V S T I N I

in hoc sæculo meliores sint sacrae uirgines fidelibus con-
 iugatis, in regno autem caelorum atque in futuro saeculo
 pares sint. Nec illud ubi ait de nubentibus, Tribula-
 tionem autem carnis habebunt eiusmodi, Ego au-
 tem uobis parco: ita intelligendum, tanquam nuptia-
 rum peccatum & damnationem maluerit tacere quam
 dicere. Harum quippe duarum sententiarum singulas,
 duo errores sibimet contrarii, non eas intelligendo te-
 nuerunt. illam enim de praesenti necessitate, illi pro se
 interpretantur, qui nubentes non nubentibus aequare
 contendunt: hanc uero ubi dictum est, Ego autem uo-
 bis parco, illi qui nubentes damnare praesumunt. Nos
 autem secundum scripturarum sanctarum fidem, sa-
 namque doctrinam, nec peccatum esse dicimus nu-
 ptias, & earum tamen bonum non solum infra uirginal-
 em, uerumetiam infra uidualem continentiam con-
 stituimus: praesentemque necessitatem coniugatorum
 non quidem solum ad uitam aeternam, uerumetiam
 ad excellentem gloriam & honorem, qui perpetuae
 continentiae referuatur, impedire eorum meritum di-
 cimus, neque hoc tempore nisi eis, qui se non conti-
 nent, nuptias expedire, & tribulationem ex affectu car-
 nali uenientem, sine quo nuptiae incontinentium esse
 non possunt, nec tacere uoluisse Apostolum uera praem-
 onentem, nec plenius explicare hominum infirmitati
 parcentem. Nunc iam scripturarum diuinarum eui-
 dentissimis testimoniis, quae pro nostrae memoriae mo-
 dulo recordari ualuerimus, clarius appareat, non pro-
 pter praesentem huius saeculi uitam, sed propter futuram,
 quae in regno caelorum promittitur, perpetuam conti-
 nentiam diligendam. Quis autem hoc non aduertat in
 eo

eo quod paulo post idem Apostolus ait, Qui sine uxore 1. Cor. 7.
 est, cogitat ea quæ sunt domini, quo modo placeat domi
 no: qui autem matrimonio iunctus est, cogitat ea quæ mun
 di sunt, quo modo placeat uxori: &, Diuisa est mulier
 nupta: &, Virgo quæ innupta est, sollicita est quæ sunt
 domini, ut sit sancta & corpore & spiritu: quæ autem
 nupta est, sollicita est quæ sunt mundi, quo modo pla-
 ceat uiro. Non utique, ait, cogitat ea, quæ securitatis
 sunt in hoc sæculo, ut sine grauioribus molestiis tem-
 pus transigat: neque ad hoc diuisam dicit innuptam &
 uirginem ab ea, quæ nupta est, id est distinctam atque
 discretam, ut innupta in hac uita secura sit propter tem-
 porales molestias euitandas, quibus nupta non caret:
 sed cogitat, inquit, quæ sunt domini, quo modo placet
 domino, & sollicita est quæ sunt domini, ut sit san-
 cta & corpore & spiritu. nisi forte usque adeo quis insi-
 pienter contentiosus est, ut conetur asserere non pro-
 pter regnum cælorum, sed propter præsens sæculum
 domino placere nos uelle, aut propter uitam istam,
 non propter æternam esse sanctas & corpore, & spi-
 ritu. Hoc credere, quid est aliud, nisi mirabiliorem
 esse omnibus hominibus? Sic enim Apostolus ait, 1. Cor. 15.
 Si in hac uita tantum in Christo sperantes sumus, mi-
 serabiliores sumus omnibus hominibus. An uero qui Esa. 58.
 frangit panem suum esurienti, si tantum propter hanc
 uitam facit, stultus est: & ille erit prudens, qui casti-
 gat corpus suum usque ad continentiam, qua nec 1. Cor. 9.
 coniugio misceatur, si ei nihil proderit in regno cælo-
 rum? postremo ipsum dominum audiamus euidentissi-
 mam hinc sententiam proferentem. nam cum de con-
 iugibus non separandis nisi causa fornicationis, diuine

D I V I A V G V S T I N I

ac terribiliter loqueretur, dixerunt ei discipuli, Si talis
 Matth. 19. est causa cum uxore, non expedit nubere. Quibus
 ille, Non omnes, inquit, capiunt uerbum hoc: sunt
 enim spadones qui ita nati sunt, sunt autem alii qui ab
 hominibus facti sunt: & sunt spadones qui seipfos castra
 uerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere ca-
 1. Cor. 1. piat. Quid ueracius, quid lucidius dici potuit? Chri-
 stus dicit, ueritas dicit, uirtus & sapientia Dei di-
 cit, eos, qui pio proposito ab uxore ducenda se conti-
 nuerint, castrare seipfos propter regnum cælorum: & cō-
 tra humana uanitas impia temeritate contendit, eos
 qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem
 molestiarum coniugalium deuitare: in regno cælorum
 Efa. 56. amplius quidquam ceteris non habere. De quibus au-
 tem spadonibus loquitur Deus per Esaiam prophetam,
 Matth. 19. quibus se dicit daturum in domo sua & in muro suo lo-
 cum nominatum, meliorem multo quàm filiorum at-
 que filiarum; nisi de iis qui seipfos castrant propter re-
 gnum cælorum? Nam illis, quibus ipsum uirile mem-
 brum debilitatur, ut generare non possint, sicut sunt
 eunuchi diuitum & regum, sufficit utique cum Chri-
 stiani fiunt, & Dei præcepta custodiunt; eo tamen pro-
 posito sunt, ut coniuges si possint haberent, ceteris in
 domo Dei coniugatis fidelibus adæquari, qui prolem li-
 cite pudicèq; susceptam in Dei timore nutriunt, do-
 centes filios suos, ut ponant in Deo spem suã, non au-
 tem accipere meliorem locum quàm est filiorum atque
 filiarum. Neque enim uxores animi uirtute, sed carnis
 Efa. 56. necessitate non ducunt. Contendant sane, qui uolue-
 rint de his prophetam spadonibus hoc prænuntiasse,
 qui corpore abscisi sunt, iste quoque error causæ quam
 suscepi-

suscepimus suffragatur: neque enim spadones istos eis, qui in domo eius nullum locum habet, prætulit Deus, sed eis utique, qui in filiis generandis coniugalis uitæ meritum seruant. nam cum dicit, Dabo eis locum multo meliorem, ostendit & coniugatis dari, sed multo inferiorem. Vt ergo concedamus in domo Dei prædictos futuros eunuchos secundum carnem, qui in populo Israel non fuerunt; quia & ipsos uidemus cum Iudæi non fiant, tamen fieri Christianos; nec de illis dixisse prophetam, qui proposito continentia coniugia non quærentes, seipso castrant propter regnum cælorum: ita ne tanta dementia quisquam est contrarius ueritati, ut in carne factos eunuchos meliorem quam coniugatos locum in domo Dei habere credat, & pio proposito continentis, corpus usque ad contemptas nuptias castigantes seipso non in corpore, sed in ipsa concupiscentia radice castrantes, cælestem & angelicam uitam in terrena mortalitate meditautes, coniugatorum meritis pares esse contendat: & Christo laudanti eos qui seipso castrauerunt, non propter hoc sæculum, sed propter regnum cælorum, Christianus contradicat, affirmans hoc præsentis uitæ esse utile, non futura? Quid aliud istis restat, nisi ut ipsum regnum cælorum ad hanc temporalem uitam, in qua nunc sumus, asserant pertinere? Cur enim non & in hanc insaniam progrediatur cæca præsumptio? Et quid hac assertionem furiosius? Nam etsi regnum cælorum aliquando Ecclesia etiam quæ hoc tēpore est appellatur, ad hoc utique sic appellatur, quia futura uitæ sempiternæq; colligitur. Quæuis ergo promissionem habeat uitæ præsentis & futura, in omnibus tamen bonis operibus suis non respi

1. Tim. 4.

D I V I A V G V S T I N I

1. Cor. 4. cit quæ uidentur , sed quæ non uidentur . Quæ enim uidentur temporalia sunt , quæ autem non uidentur æterna . Nec sane spiritus sanctus tacuit quod contra istos impudentissime ac dementissime peruicaces apertum atque inconcussum ualeret , eorumq; beluinum impetum ab ouibus suis inexpugnabili munitione repelleret . cum enim dixisset de spadonibus , Dabo eis in domo mea , & in muro meo locum nominatum , meliorem multo quàm filiorum atque filiarum : ne quis nimium carnalis existimaret in his uerbis aliquid temporale sperandum , continuo subiecit , Nomen æternum dabo eis , nec unquam deerit : tanquam diceret , Quid tergiuersaris impia cæcitas ? quid tergiuersaris ? quid serenitati ueritatis nebulas tuæ peruerfitatis offundis ? Quid in tanta scripturarum luce tenebras unde insidieris inquiris ? quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus sanctis ? Nomen æternum dabo eis . Quid ab omni concubitu immunes , & eo quoque ipso quo hinc se se abstinere , ea quæ sunt domini cogitantes , quo modo placeant domino , ad terrenam commoditatem referre conaris ? Nomen æternum dabo eis .

Matth. 19. Quid regnum cælorum , propter quod seipsos castrauerunt sancti spadones , in hac tantum uita intelligendum esse contendis ? Nomen æternum dabo eis . Et si forte hic ipsum æternum pro diuturno conaris accipere , addo , accumulo , inculco , Nec unquam deerit . Quid quæris amplius ? Quid dicis amplius ? Aeternum hoc nomen , quidquid illud est spadonibus Dei , quod utique gloriam quandam propriam excellentemq; significat , non erit commune cum multis , quamuis in eodem regno & in eadem domo constitutis . Nam ideo for-

fortassis & nomen dictum est, quòd eos quibus datur distinguit a ceteris. Quid sibi ergo uult, inquit, ille denarius, qui opere uineæ terminato æqualiter omnibus redditur, siue iis, qui a prima hora, siue iis qui una hora operati sunt? Quid utique, nisi aliquid significat quòd omnes cõmuniter habebunt, sicuti est ipsa uita æterna, ipsum regnum cælorum, ubi erunt omnes quos Deus prædestinauit, uocauit, iustificauit, glorificauit? Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hic est ille denarius, merces omnium. Stella tamen ab stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diuersa sanctorum. Si enim cælum significaretur illo denario, non ne, in cælo esse, omnibus est commune sideribus? Et tamen alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum. Si denarius ille pro sanitate corporis ponetur, non ne cum recte ualeamus, omnibus membris communis est sanitas, & ipsa si usque in mortem permaneat, pariter & æqualiter omnibus inest? Et tamen posuit Deus membra, singulum quodque eorum in corpore prout uoluit, ut nec totum sit oculus, nec totum auditus, nec totum odoratus: & quidquid est aliud, habet suam proprietatem, quamuis æqualiter habeat cum omnibus sanitatem: ita quia ipsa uita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est. Quia uero in ipsa uita æterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non uiuet alius prolixius: in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius. Pergite itaque sancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac feminæ, cælibes & innuptæ, pergite perfe-

Matth. 20.

Rom. 8.

1. Cor. 15.

Ibidem.

1. Cor. 12.

Ioann. 14.

D I V I A V G V S T I N I

perfeueranter in finem . Laudate dominum dulcius ,
 quem cogitatis uberius : sperate felicius , cui seruitis
 instantius : amate ardentius , cui placetis attentius .
 Luc. 12. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate do-
 minum quando ueniat a nuptiis . Vos afferetis ad nu-
 ptias agni canticum nouum , quod cantabitis in citharis
 uestris , (hoc est , in cordibus dicatis laudibus) non
 Pſal. 39. utique tale quale cātat uniuersa terra , cui dicitur , Can-
 tate domino canticum nouum , cantate domino uniuersa
 terra : sed tale quale nemo poterit dicere nisi uos . Sic
 Apoc. 14. enim uos uidit in Apocalypſi quidam præ ceteris dile-
 ctus agno , qui discumbere super pectus eius solitus erat ,
 & bibebat & eructabat mirabilia super cælestia Dei uer-
 bum . Ipse uos uidit duodecies duodena millia sanctorū
 citharæodorū illibata uirginitatis in corpore , inuio-
 lata ueritatis in corde : & quia sequimini agnum quocun-
 que ierit , scripsit ille de uobis . Quò ire putamus hunc
 agnum ? quò nemo eum sequi uel audeat uel ualeat nisi
 Pſa. 39. uos . Quò putamus eum ire ? In quos saltus & prata ?
 Vbi credo sunt gramina , gaudia , non gaudia sæculi hu-
 ius uana , infania mendaces , nec gaudia qualia in ipso
 regno Dei ceteris non uirginibus erunt , sed a cetero-
 rum omniū gaudiorū sorte distincta : gaudium uirginū
 Christi , de Christo , in Christo , cū Christo , post Christū
 per Christum , propter Christum : gaudia propria uirgi-
 num Christi , (non sunt eadem , non uirginum quamuis
 Christi :) nam sunt aliis alia , sed nullis talia . Ite in hæc ,
 sequimini agnum , quia & agni caro utique uirgo . Hoc
 enim in se retinuit auctus , quod matri non abstulit con-
 ceptus & natus . Merito eum sequimini uirginitate cor-
 dis & carnis , quocunque ierit . Quid est eum sequi ,
 nisi

nisi imitari? Quia Christus pro nobis passus est, relin-
quens nobis exemplum, sicut ait Apostolus Petrus, ut
sequamur uestigia eius. Hunc in eo quisque sequitur, in
quo imitatur, nō inquantū filius Dei est unus, per quem
facta sunt omnia, sed in quātū filius hominis, quæ oportebat,
in se præbuit imitanda: & multa in illo ad imitan-
dum omnibus proponuntur, uirginitas autem car-
nis non omnibus: non enim habent quid faciant ut uir-
gines sint, in quibus iam factum est ut uirgines nō sint.
Sequantur itaque agnum ceteri fideles, qui uirginita-
tem corporis amiserunt, non quocunque ille ierit, sed
quousque ipsi potuerint. Possunt autē ubiq; præter cū
in decore uirginitatis incedit. Beati pauperes spiritu,
imitamini eū, qui propter uos pauper factus est cū di-
ues esset. Beati mites, imitamini eum qui dixit, Disci-
te a me quoniam mitis sum & humilis corde. Beati lu-
gentes, imitamini eum qui fleuit super Hierusalem. Bea-
ti qui esuriunt & sitiunt iustitiam, imitamini eum, qui
dixit, Meus cibus est ut faciam uoluntatem eius qui mi-
sit me. Beati misericordes, imitamini eum qui uulnera
to a latronibus & in uia iacenti semiuiuo, desperatoq;
subuenit. Beati mundo corde, imitamini eum qui pec-
catum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.
Beati pacifici, imitamini eum qui pro suis persecutori-
bus dixit, Pater ignose illis quia nesciunt quid faciunt.
Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,
imitamini eum qui pro uobis passus est, relinquens uo-
bis exemplum, ut sequamini uestigia eius. Hæc qui
imitantur, in his agnum sequuntur. Sed certe etiam
coniugati possunt ire per ista uestigia, & si non perfecte
in eadem forma ponētes pedem, ueruntamen in eisdem
semitis

1. Pet. 2.

Ioann. 1.

Apoc. 14.

Matth. 5.

2. Cor. 8.

Matth. 5.

Matt. 11.

Matth. 5.

Luc. 19.

Matth. 5.

Ioann. 4.

Matth. 5.

Luc. 10.

Matth. 5.

1. Petri. 2.

Matth. 5.

Luc. 23.

Matth. 5.

1. Petri. 2.

D I V I A V G V S T I N I

semitis gradientes. Sed ecce ille agnus graditur itinere uirginali, quo modo post eum ibunt qui hoc amiserunt quod nullo modo recipiunt? Vos ergo uos ite post eum uirgines eius: uos illuc ite post eum, quia propter hoc bonum unum quocunque ierit sequimini eum: ad quodlibet enim aliud sanctitatis donum, quod eum sequantur, hortari possumus coniugatos, præter hoc quod irreparabiliter amiserunt. Vos itaque sequimini eum, tenendo perseveranter quod uouistis, ardentè facite cum potestis, ne uirginitatis bonum a uobis pereat, cui facere nihil potestis ut redeat. Videbit uos cetera multitudo fidelium, quæ agnum ad hoc sequi non potest: uidebit, nec inuidebit: & collærando uobis, quod in se non habet, habebit in uobis. Nam & illud canticum nouum proprium uestrum dicere non poterit, audire autem poterit, & delectari uestro tam excellenti bono. sed uos qui & dicetis, & audieris, quia & hoc quod dicetis a uobis audietis, felicius exultabitis, iucundiusq; regnabitis. De maiore tamen uestro gaudio nullus mæror erit, quibus hoc deerit. Agnus ille, quippe quem uos quocunque ierit sequimini, nec eos deseret, qui eum quod uos non ualent sequi. Omnipotentem agnum loquimur. Et uobis præbit, & ab eis non abibit, cum erit Deus omnia in omnibus. Et qui minus habebunt, a uobis non abhorrebunt. Vbi enim nulla est inuidèntia, consors est differentia. Præsumite itaque, fidite, roboramini, permanete qui uouetis & redditis domino Deo uestro uota perpetuæ continentia, non propter præsens sæculum, sed propter regnum cælorum. Vos etiam qui hoc nondum uouistis, qui potestis capere capite, perseveranter currite ut comprehendatis.

Apoc. 14.

1. Cor. 15.

Psal. 75.

Matth. 19.

datis. Tollite hostias quisque suas, & introite in atria
 domini, non ex necessitate, sed potestatem haben- 1. Cor. 9.
 tes uestræ uoluntatis. Neque enim sicut non mœcha- Psal. 85.
 beris, non occides: ita dici potest, non nubes. Illa exi- Ex. 20.
 guntur, ista offeruntur. Si fiant ista, laudantur: nisi Luc. 10.
 fiant illa, damnantur. In illis dominus debitum impe-
 rat uobis, in his autē si quid amplius supererogaueritis,
 in redeundo reddet uobis. Cogitate quidquid illud est,
 In muro eius locum nominatum meliorē multo quàm Esa. 56.
 filiorum atque filiarum. Cogitate illic nomen æternū.
 Quis explicat quale nomen erit? Quidquid tamen
 erit, æternum erit. Hoc credendo & sperando & aman-
 do, potuistis coniugia non deuitare prohibita, sed trans
 uolare concessa. Vnde huius muneris magnitudo, ad
 quod capeffendum pro nostris uiribus hortati sumus,
 quanto est excellentius atque diuinius, tanto magis ad-
 monet sollicitudinem nostram, non solum de gloriosis-
 sima castitate, uerumetiam de tutissima humilitate ali-
 quid loqui. Cum ergo perpetuæ continentię professores
 se coniugatis comparantes, secundum scripturas
 cōpererint eos esse, & opere & mercede, & uoto & præ-
 mio: statim ueniat in mentē quod scriptum est, Eccl. 5.
 Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, & coram
 Deo inuenies gratiam. Mensura humilitatis cuique ex
 mensura ipsius magnitudinis data est: cui est periculo-
 sa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. Hanc
 sequitur inuidentiā, tanquam filia pedisequa. Eam
 quippe superbia continuo parit, nec unquam est sine ta-
 li prole atque comite. Quibus duobus malis, hoc est
 superbiæ & inuidentiæ, diabolus præest. Itaque contra
 superbiā matrem inuidentiæ maxime militat uniuersa

DIVI AVGVSTINI

disciplina Christiana. Hæc enim docet humilitatem, qua & acquirat & custodiat caritatem: de qua cum dictum esset, Caritas non æmularur: uelut si causam quæreremus unde fiat ut nō æmuletur, continuo subdidit, Non inflatur: tanquam diceret, ideo non habet inuidentiam, quia nec superbiam. Doctor itaque humilitatis Christus primo semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ipsa uero doctrina eius quàm attente insinuet humilitatem, atque huic percipiendæ uehementer insistat, quis explicare facile possit, atque in hanc ré demonstrandam testimonia cuncta congerere? Hoc facere conetur uel faciat quisquis seorsum de humilitate uoluerit scribere: huius autem operis aliud propositum est, quod de tam magna re susceptum est, ut ei maxime sit cauenda superbia. Proinde pauca testimonia, quæ dominus in mentem dare dignatur, ex doctrina Christi de humilitate commemoro, quæ ad id quod intendimus fortasse sufficiant. Sermo eius, quem primum prælixiorum ad discipulos habuit, inde coepit, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: quos sine ulla controuersia humiles intelligimus. Fidem Centurionis illius ideo præcipue laudauit, nec se inuenisse in Israel dixit tantam fidem, quia ille tam humiliter credidit, ut diceret, Non sum dignus ut sub tectum meum intres: Vnde nec Matthæus ob aliud eū dixit accessisse ad domum, cum apertissime Lucas insinuet, quod nō ad eum ipse uenerit, sed amicos suos miserit, nisi quia fidelissima humilitate magis ipse accessit quàm illi quos misit.

Vnde

1. Cor. 13.

Philip. 2.

March. 3.

Matt. 8.

Luc. 7.

Vnde & illud propheticum est, Excelsus dominus & Pfal. 137.
 humilia respicit, excelsa autem a longe cognoscit: uti-
 que tanquam non accedentia. Hinc & illi mulieri Cha-
 naneæ dicit, O mulier, magna est fides tua, fiat tibi si- Matt. 23.
 cut uis: quam superius canem appellauerat, nec ei pa-
 nem filiorum proiiciendum esse responderat. Quod il-
 la humiliter accipiens dixerat, Ita domine, nam & can-
 nes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum
 suorum. Ac sic quod assiduo clamore non impetrabat,
 humili confessione promeruit. Hinc & illi duo propo- Luc. 18.
 nuntur orantes in templo, unus Pharisæus, & alter pu-
 blicanus, propter eos, qui sibi iusti uidentur, & sper-
 nunt ceteros: & enumerationi meritorum præfertur
 confessio peccatorum. Et utique Deo gratias agebat
 Pharisæus ex iis, in quibus sibi multum placebat: Gra-
 tias, inquit, tibi ago, quia non sum sicut ceteri homi-
 nes, iniusti, raptores, adulteri, sicut & publicanus
 iste: ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ
 possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, nec
 oculos ad cælum audebat leuare, sed percutiebat pe-
 ctus suum dicens, Deus propitius esto mihi peccato-
 ri. Sequitur autem diuina sententia, Amen dico uobis,
 descendit iustificatus de tēplo publicanus magis quàm
 ille Pharisæus. Deinde causa ostenditur, cur hoc iustum
 sit; Quoniam qui se exaltat, humiliabitur, & qui se hu-
 miliat, exaltabitur. Fieri ergo potest, ut quisque &
 mala uera deuitet, & uera bona in se consideret, &
 de his patri luminum gratias agat, a quo descendit om-
 ne datum optimum, & omne donum perfectum: & Jacobi 1.
 tamen elationis uitio reprobetur, si aliis peccatoribus,
 maximeq; peccata in oratione confitentibus, uel sola

80
D I V I A V G V S T I N I

cogitatione, quæ coram Deo est, superbus insultet, quibus nõ exprobratio cū inflatione, sed miseratio sine desperatione debetur. Quid illud, quòd quærentibus inter se discipulis quisnam eorum maior esset, puerum parvulum constituit ante oculos eorum dicens, Nisi fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum celorum: nonne humilitatem maxime commendavit, & in ea meritum magnitudinis posuit? uel cum filiis Zebedæi latera eius in sedium sublimitate concupiscentibus ita respondit, ut passionis eius calicem bibendum potius cogitarent, in quo se humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis, quàm superbo appetitu præferri ceteris postularent: quid ostendit nisi eis se futurum altitudinis largitorem, qui eum doctorem humilitatis antea sequerentur? Iam uero quòd exiturus ad passionem lauit pedes discipulis, monuitq; apertissime ut hoc facerent condiscipulis atque conseruis, quod eis fecisset magister & dominus, quantum commendavit humilitatem, cui commendandæ etiam illud tempus elegit, quo eum proxime moriturum cum magno desiderio contuebantur: hoc utique præcipue memoria retenturi, quod magister imitandum ultimum demonstrasset: at ille hoc fecit illo tempore, quod utique potuit & aliis ante diebus, quibus cum eis fuerat conuersatus: quod si fieret, hoc ipsum quidem traderetur, sed utique non sic acciperetur. Cum ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidẽ a Christo Christiani appellantur, cuius Euangelium nemo diligenter in-tuetur, qui non eum doctorem humilitatis inueniat: tum maxime uirtutis huius sectatores & conseruatores eos esse conuenit, qui magno aliquo bono ceteris eminent

nent, ut magnopere curent illud quod primitus posui,
 Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, & Eccl. 3.
 coram Deo inuenies gratiam. Proinde quia perpetua
 continentia, maximeq; uirginitas, magnum bonum est
 in sanctis Dei, uigilantissime cauendum est, ne super-
 bia corrumpatur. Curiosas & uerbosas malas inuuptas
 Paulus Apostolus notat, & hoc uitium dicit uenire ex
 otio. Simul autem, inquit, & otiosæ discunt circumire i. Tim. 5.
 domos, non solum autem otiosæ uerumetiam curiosæ
 & uerbosæ, loquentes quæ non oportet. De his supe-
 rius dixerat, Iuniores autem uiduas euita. Cum enim
 in deliciis egerint, in Christo nubere uolunt, habentes
 damnationem, quoniam primam fidem irritam fe-
 cerunt, id est in eo quod primo uouerant non steterunt.
 Nec tamen ait, nubunt: sed, nubere uolunt: multas
 enim earum reuocat a nubendo, non amor præclari
 propositi, sed aperti dedecoris timor, ueniens & ipse a
 superbia, qua formidatur magis hominibus displicere
 quàm Deo. Hæ igitur, quæ nubere uolunt, & ideo non i. Cor. 7.
 nubunt, quia impune non possunt, quæ melius nube-
 rent quàm urerentur, id est quàm occulta flamma con-
 cupiscentiæ in ipsa cõcupiscentia uastarentur, quas pæ-
 nitet professionis, & piget confessionis, nisi correctum
 cor dirigant, & Dei timore rursus libidinem uincant,
 in mortuis deputandæ sunt: siue in deliciis agant, unde
 dicit Apostolus, Quæ autem in deliciis agit, uiuens i. Tim. 3.
 mortua est: siue in laboribus, atque ieiuniis, nulla
 cordis correctione, superfluis, & magis ostentatio-
 ni, quàm emendationi seruientibus. Non ergo tali-
 bus magnam curam humilitatis ingero, in quibus
 superbia ipsa confunditur, & conscientiæ uulnere cruen-
 tatur.

DIVI AVGVSTINI

tatur. Nec ebriosis, aut avaris, aut alio quolibet dam-
 nabilis morbi genere iacentibus, cum habeant cor-
 poralis continentiaē professionem, moribusque peruer-
 sis a suo nomine dissonent, hanc magnam sollicitudi-
 nē piæ humilitatis impono: nisi forte in his malis etiam
 ostentare se audebunt, quibus non sufficit quòd eorum
 supplicia differuntur. Nec de his ago, in quibus est qui-
 dam placendi appetitus, aut elegantiore uestitu quàm
 tantæ professionis necessitas postulat, aut capitis liga-
 mento notabili, siue protumidis umbonibus capillo-
 rum, siue tegminibus ita teneris utuntur, ut retiola
 subtus posita appareant: his nondū de humilitate, sed
 de ipsa castitate uel integritate pudicitiaē danda præce-
 pta sunt. Da mihi profitentem perpetuā continentiam,
 atque his & huiusmodi carentem omnibus & uitiis, &
 maculis morum: huic superbiam timeo, huic tam ma-
 gno bono ex elationis tumore formido quo magis in-
 est unde sibi placeat, eo magis uereor, ne sibi placen-
 do illi displiceat, qui superbis resistit, humilibus au-
 tem dat gratiam. Certe præcipuum magisterium, & uir-
 ginalis integritatis exemplum in ipso Christo contuen-
 dum est. Quid ergo amplius continentibus de humili-
 tate præcipiam, quàm quod ille qui omnibus dicit, Di-
 scite a me, quoniam mitis sum & humilis corde? cum
 magnitudinem suam supra cōmemorasset. Et id ipsum
 uolens ostendere, quantus propter nos quantillus effe-
 ctus est: Confiteor, inquit, tibi pater, domine cæli &
 terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus & pruden-
 tibus, & reuelasti ea paruulis: Ita pater, quoniam sic
 placitum est coram te, Omnia mihi tradita sunt a patre
 meo, & nemo cognoscit filium nisi pater, & nemo cog-
 noscit

Iacobi. 4.

Matth. 11.

gnoscit patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare:
 Venite ad me omnes qui laboratis: & onerati estis, &
 ego reficiam uos: Tollite iugum meum super uos, & di-
 scite a me, quoniam mitis sum & humilis corde, & in-
 uenietis requiem animabus uestris. Ille ille cui omnia
 tradidit pater, & quem nemo agnoscit nisi pater, & qui
 patrem solus agnoscit, & cui uoluerit reuelare, non di-
 cit, Discite a me mundum fabricare, aut mortuos resu-
 scitare: sed, quia mitis sum & humilis corde. O doctri-
 nam salutarem, o magistrū dominumque mortalium,
 quibus mors poculo superbix propinata atque transfu-
 sa est. Noluit docere (quod ipse non esset, noluit iube-
 re) quod ipse non faceret. Video te bone Iesu oculis fi-
 dei, quos aperuisti mihi, tanquam in concione gene-
 ris humani clamantem atque dicentem, Venite ad me
 & discite a me. Quid obsecro te, per quem facta sunt
 omnia filii Dei, & idem qui factus es inter omnia filii ho-
 minis? Quid ut discamus a te, uenimus ad te? Quo-
 niam mitis sum, inquit, & humilis corde. Hucce-
 ne redacti sunt omnes thesauri sapientix & scientix ab-
 sconditi in te, ut hoc pro magno discamus a te, quo-
 niam mitis es, & humilis corde? Ita ne magnum est
 esse paruum, ut nisi a te, qui tam magnus es, fieret, disci
 omnino non posset? Ita plane. non enim aliter inueni-
 tur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo
 magna sibi erat quando tibi sana non erat. Audiant te,
 & ueniant ad te, & mites atque humiles esse discant a
 te, qui misericordiam & ueritatem tuam requirunt, ti-
 bi uiuendo, tibi non sibi. Audiat hoc laborans & one-
 ratus, qui sarcina premitur, ut oculos ad cælum leuare
 non audeat, percutiens pectus ille peccator & propin-
 quans

Matth. 11.

Ioann. 1.

Col. 2.

March. 11.

Luc. 18.

D I V I A V G V S T I N I

- quans de longinquo . Audiatur centurio, non dignus cuius tectum subires . Audiatur Zachæus maior publicanorum , quadrupla restituens lucra damnabilium peccatorū . Audiatur mulier in ciuitate peccatrix , tanto lacrymosior pedibus tuis, quanto fuerat alienior a uestigiis tuis. Audiant meretrices & publicani, qui scribas & Pharifæos præcedunt in regnū cælorum . Audiatur omne genus ægrorū, cum quibus tibi pro crimine sunt obiecta conuiuia, uidelicet quasi a sanis qui medicum non querebant, cum non ueneris uocare iustos, sed peccatores ad penitentiam . Hi omnes cum conuertuntur ad te, facile mitescunt & humiliantur coram te, memores iniquissimæ uitæ suæ, & indulgentissimæ misericordiæ tuæ, quia ubi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Sed respice agmina uirginum, puerorum, puellarumq; sanctarum : in Ecclesia tua eruditum est hoc genus, illic tibi a maternis uberibus pullulauit, nomen tuum ad loquendum linguam soluit, nomen tuum uelut lac infantia suæ suxit infusum . Non potest quisquam ex hoc numero dicere, Qui prius fui blasphemus & persecutor & iniuriosus, sed misericordiam consecutus sum, quoniam ignorans feci in incredulitate : immo etiam quod non iussisti, sed tantummodo uolentibus arripiendum proposuisti dicens, Qui potest capere capiat, arripuerunt, uouerunt, & propter regnū cælorum seipsos, non quia minatus es, sed quia hortatus es, castrauerunt . His in-clama, hi te audiant, quoniam tu mitis es, & humilis corde. Hi quanto magni sunt, tanto humiliant se in omnibus, ut coram te inueniant gratiam . Iusti sunt, sed nunquid sicut tu iustificat impium? Casti sunt, sed eos in peccatis matres eorum in uteris aluerunt . Sancti sunt
- Matth. 8.
- Luc. 19.
- Luc. 7.
- Matth. 21.
- Matth. 9.
- Rom. 5.
1. Tim. 1.
- Matth. 19
- Matth. 11.
- Eccl. 3.
- Rom. 4.

sunt, sed tu etiam sanctus sanctorum. Virgines sunt, sed
 nati etiam ex uirginibus non sunt. Et spiritu & carne
 integri sunt, sed uerbum caro factum non sunt. Et ta-
 men discant non ab eis, quibus peccata dimittis, sed a
 teipso agno Dei, qui tollis peccata mundi, quoniam
 mitis es & humilis corde. Non ego te anima pie pudica,
 quæ appetitum carnalem nec usque ad concessum
 coniugium relaxasti, quæ discessurum corpus nec suc-
 cessori propagando indulxisti, quæ fluitantia membra
 terrena in cæli consuetudinem suspendisti: non ego te
 ut discas humilitatem ad publicanos & peccatores mit-
 to, qui tamen in regnum cælorum præcedunt superbos,
 non ad hos mitto. Indigni sunt enim qui ab immunditi-
 æ uoragine liberati sunt, ut ad eos imitandos mittaris
 illibata uirginitas. ad regem cæli te mitto, ad eum per
 quem creati sunt homines, & qui creatus est inter ho-
 mines propter homines, ad speciosum forma præ filiis
 hominum, & contemptum a filiis hominum pro filiis
 hominum, ad eum qui dominans angelis immortalibus,
 non dedignatus est seruire mortalibus. Eum cer-
 te humilem non iniquitas sed caritas fecit: caritas quæ
 non æmulatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt:
 quia & Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est
 de illo, Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt su-
 per me. Vade ueni ad eum, & disce, quoniam mitis est
 & humilis corde. Non ibis ad eum qui oculos ad cælum
 leuare non audebat onere iniquitatis, sed ad eum qui
 de cælo descendit pondere caritatis. Non ibis ad eam
 quæ domini sui pedes lacrymis rigauit, quærens in-
 dulgentiam grauium peccatorum: sed ibis ad eum qui
 cum daret indulgentiam omnium peccatorum, lauit
 pedes

Psal. 51

Ioan. 1.

1. Cor. 13.

Luc. 11.

Luc. 18.

Psal. 44.

1. Cor. 13.

Psal. 68.

Matt. 11.

Luc. 18.

Luc. 7.

- Ioan. 13. pedes seruorum suorum. Noui dignitatem uirginitatis tuæ, non tibi propono imitandum publicanum humiliter accusantem delicta sua, sed timeo tibi Pharisaum superbe iactantem merita sua. Non dico, esto qualis illa
- Luc. 18. superbe iactantem merita sua. Non dico, esto qualis illa de qua dictum est, Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. sed metuo, ne cum tibi modicum dimitti putas, modicum diligas. metuo inquam tibi uehementer, ne cum te agnum quocumque ierit secuturam esse gloriaris, cum præ tumore superbiæ sequi per angusta non possis. Bonum est tibi o anima uirginalis, ut sic quo modo uirgo es, sic omnino seruans in corde quòd renata es, seruans in carne quòd nata es, concipias tamen a timore domini & parturias spiritum salutis. Timor quidem non est in caritate, sed perfecta, sicut scriptura dicit, caritas foras mittit timorem, sed timorem hominum, non Dei timoré, temporalium maiorum, non diuini in fine iudicii. Noli altum sapere, sed time. Ama Dei bonitatem, time seueritaté, utrumque te superbam esse non sinit. Amando enim times, ne amatum & amantem grauitè offendas. Nam quæ grauior offensio quàm ut superbia illi displiceas, qui propter te superbis displicuit? Et ubi magis esse debet timor ille castus permanens in sæculum sæculi, quàm in te, quæ non cogitas quæ sunt mundi, quo modo placeas coniugi, sed quæ sunt domini, quo modo placeas domino: ille alius timor non est in caritate: iste autem castus non recedit a caritate. Si non amas, time ne peareas: si amas, time ne displiceas. Illum timorem caritas foras mittit: cum isto introcurrit. Dicit Apostolus Paulus etiam, Non enim accepimus spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepimus spiritum adoptionis filiorum

filiorum, in quo clamamus abba pater. Illum eum timorem credo dicere, qui datus erat in ueteri testamento, ne amitterentur temporalia bona, quæ Deus promiserat, nondum sub gratia filiis, sed sub lege adhuc seruuis. Est etiam timor ignis æterni, propter quem deuitandum Deo seruire, nõdum est utique perfectæ caritatis. Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii. Aliæ uoces sunt, Quò abibo a spiritu tuo, & quò a facie tua fugiam: & aliæ uoces sunt, Vnam petii a domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini per omnes dies uitæ meæ, ut contempler delectationem domini, & protegar a templo eius. et, Ne auertas faciem tuam a me. et, Desiderat & deficit anima mea in atria domini. Illas uoces non habuerat, qui oculos non audebat leuare ad cælum, & quæ rigabat lacrymis pedes ad impetrandam ueniam grauium peccatorũ. Has autem tu habeto, quæ sollicita es ea, quæ sunt domini, ut sis sancta & corpore & spiritu. Illis uocibus comitatur timor, qui tormentum habet, quem perfectæ caritas foras mittit. His autem uocibus comitatur timor domini castus permanens in sæculum sæculi. Et utriusque generi dicendum est, Noli altum sapere, sed time: ut homo nec de suorum peccatorum defensione, nec de iustitiæ præsumptione se extollat. Nam & ipse Paulus qui dixit, Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: tamen timore comite caritatis ait, Cum timore & tremore multo fui apud uos. Et ea sententia quam commemorauit, ne aduersus fractos oleæ ramos insertus superbiret oleaster, ipse usus est dicens, Noli altum sapere, sed time: ipse omnia membra Christi generaliter admonens ait, Cũ timore & tremore uestram

Psal. 138.

Psal. 26.

Psal. 83.

Luc. 18.

Luc. 7.

1. Cor. 7.

1. Ioan. 4.

Psal. 18.

Rom. 11.

Rom. 8

2. Cor. 2.

Rom. 11.

Philip. 2.

D I V I A V G V S T I N I

ipforum salutem operamini, Deus est enim qui opera-
 tur in uobis & uelle & operari pro bona uoluntate: ne
 ad uetus testamentū uideatur pertinere quod scriptum
 est, Seruite domino in timore, & exultate ei cum tre-
 more. Et quæ magis membra corporis sancti, quod est
 Ecclesia, curare debēt ut super ea requiescat spiritus san-
 ctus, quàm illa quæ uirginalem profitentur sanctitatē?
 Quo modo autē requiescit ubi nō inuenit locum suum?
 Quid autē aliud quàm cor humiliatum quod impleat,
 non unde resiliat: quod erigat, non quod deprimat:
 cum apertissime dictum sit, Super quem requiescit spi-
 ritus meus, nisi super humilem & quietum, & tremētē
 uerba mea? Iam iuste uiuis, iam pie uiuis, pudice, sancte,
 uirginali castitate uiuis: adhuc amen hic uiuis, & non
 humiliaris audiendo, Nunquid non tentatio est uita hu-
 mana super terram? Non te a præfidenti elatione reuer-
 berat, Væ mundo ab scandalis? Non contremiscis ne
 deputeris in multis, quarum refrigescit caritas, quo-
 niam abundat iniquitas? Non percutis pectus cum au-
 dis, Quapropter qui se putat stare, uideat ne cadat? In-
 ter hæc diuina monita & humana pericula, ita ne adhuc
 uirginibus sanctis humilitatem persuadere laboramus?
 An uero propter aliud credendū est permittere Deum,
 ut misceantur numero professionis uestre multi & mul-
 ta casuri & casuræ, nisi ut his cadentibus timor uester
 augeatur, quo superbia comprimatur, quam sic odit
 Deus, ut contra hanc unam se tantum humiliarit altis-
 simus? Nisi forte re uera ideo minus timebis magisque
 inflaberis, ut modicum diligas eum, qui te tantū dile-
 xit, ut traderet semet ipsum pro te: quia modicum tibi
 dimisit, uiuenti uelicet a pueritia religiose, pudice,
 pie,

Pfal. 2.

Esa. 66.

Iob. 7.

Matt. 18.

Matth. 24.

1. Cor. 10.

Luc. 7.

Galat. 2.

pie, caste, illibata uirginitate, quasi uero non tu multo ardentius diligere debeas eum, qui flagitiosis ad se conuersis quæcunque dimisit, in ea te cadere non permittit? Aut uero ille Phariseus, qui propterea modicum diligebat, quia modicum sibi dimitti existimabat: nunquid ob aliud hoc errore cæcabatur, nisi quia ignorans Dei iustitiam, & suam quærens constituere, iustitiæ Dei subiectus non erat? Vos autem genus electum, & in electis electius uirginei chori sequentes agnum: etiam uos gratia salui facti estis per fidem: & hoc nõ ex uobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ preparauit Deus ut in illis ambulemus. Ergo ne hunc, quanto eius donis ornatiores estis, tanto minus amabitis? Auerterit ipse tam horrendam dementiã. Proinde quoniã uerum ueritas dixit, quòd ille cui modicũ dimittitur, modicũ diligit: uos ut ardentissime diligatis, cui diligendo a coniugiorum nexibus liberi uacatis, deputate uobis tanquam omnino dimissum, quidquid mali a uobis non est illo regente cõmissum. Oculi enim uestri semper ad dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes uestros. Et nisi dominus custodierit ciuitatem, in uanum uigilat, qui custodit eam. Et de ipsa continentia loquens, Apostolus ait, Volo autem omnes homines esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet a Deo, alius sic, alius autem sic. Quis ergo donat ista? Quis distribuit propria unicuique sicut uult? Nempe Deus apud quem non est iniquitas. Ac per hoc quã æquitate ille faciat alios sic, alios autem sic, homini nosse aut impossibile, aut omnino difficile est. quin tamen æquitate faciat, du-

Luc. 7.

Rom. 10.

1. Petri. 2.

Apoc. 14

Ephes. 2.

Psal. 24.

Psal. 26.

1. Cor. 7.

Rom. 9.

1. Cor. 4.

bitare

D I V I A V G V S T I N I

bitare fas non est. Quid itaq; habes quod nō accepisti?
 aut qua peruersitate minus diligis a quo amplius accepi-
 sti? Quapropter hæc prima fit induendæ humilitatis co-
 gitatio, ne a se sibi putet esse Dei uirgo quòd talis est, ac
 nō potius hoc donum optimū desuper descendere a pa-
 tre luminum, apud quē non est transmutatio, nec mo-
 menti obumbratio. Ita enim non putabit modicum fi-
 bi dimissum ut modicum diligit: & ignorans Dei iusti-
 tiam, ac suam uolens constituere, iustitiæ Dei non sub-
 iiciatur. In quo uitio erat Simon ille quem superauit
 mulier, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam di-
 lexit multum. Sed cautius & uerius cogitabit omnia
 peccata sic habenda tanquam dimittantur, a quibus
 deus custodit ne committantur. Testes sunt uoces pia-
 rum deprecationum in scripturis sanctis, quibus osten-
 ditur, ea ipsa, quæ præcipiuntur a Deo, non fieri nisi
 dante atque adiuuante qui præcipit. Mendaciter enim
 petuntur, si ea non adiuuante eius gratia facere pos-
 semus. quid tam generaliter maximeque præcipitur,
 quàm obedientia, qua custodiuntur mandata Dei?
 Et ramen hanc inuenimus optari, Tu, inquit, præ-
 cepisti mandata tua custodiri nimis. Deinde quid se-
 quitur? Vtinam dirigantur uiæ meæ ad custodiendas
 iustificationes tuas. Tunc non confundar, dum inspi-
 cio in omnia mandata tua. Quod Deum præcepisse su-
 pra posuit, hoc ut in se impleretur optauit: hoc fit uti-
 que ne peccetur. Quod si peccatum fuerit, præcipitur
 ut pæniteat: ne defensione & excusatione peccati pereat
 superbiendo, qui fecit, dum non uult pænitendo pe-
 rire quod fecit. Etiam hoc a Deo petitur, ut intelliga-
 tur non fieri, nisi eo præstante a quo petitur. Pone, in-
 quit,

Iacobi 1.

Rom. 10.

Luc. 7.

Psal. 118.

1 Cor. 7.

Rom. 9.

Psal. 40.

quit, domine custodiam ori meo, & ostium continentiae circum labia mea, Ne declines cor meum in uerba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem. Si ergo & obedientia, qua eius mandata seruamus, & penitentia, qua peccata nostra non excusamus, sed accusamus, optatur & petitur: manifestum est, quia cum fit, illo dante habetur, illo adiuuante completur. Apertius etiam dicitur propter obedientiam, A domino gressus hominis diriguntur, & uiam eius uolet. Et de penitentia dicit Apostolus, Ne forte det illis Deus penitentiam. De ipsa etiam continentia nonne apertissime dictum est, Et cum scirem quia nemo potest esse continens nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientiae scire cuius esset hoc donum. Sed forte continentia donum Dei est, sapientiam uero sibi ipse homo praestat, qua illud donum non suum, sed Dei esse cognoscat. Immo Deus sapientes facit caecos, & testimonium Dei fidele sapientiam praestat paruulis. Et si quis indiget sapientia, postulet a domino, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Sapientes autem esse uirgines decet, ne lampades earum extinguantur. Quo modo sapientes, nisi non alta sapientes, sed humilibus consentientes? Dixit enim homini ipsa sapientia, Ecce pietas est sapientia. Si ergo nihil habes, quod non accepisti, noli altum sapere, sed time. Et noli modicum diligere, quasi a quo tibi modicum dimissum est: sed potius multum dilige, a quo multum tibi tributum est. Si enim diligit, cui donatum est ne redderet: quanto magis debet diligere, cui donatum est ut haberet? Nam quisquis ab initio pudicus permanet, ab illo regitur: Et quisquis ex impu-

Psal. 36. 1

2. Timo. 2.

Sapient. 8.

Eccl. 3.

Psal. 18.

Iacobi 1.

Marth. 25.

Rom. 12.

Iob 28.

1. Cor. 4.

Rom. 11.

Luc. 7.

1. Cor. 11.

1. Idocti

101 D I V I A V G V S T I N I

impudico pudicus fit, ab illo corrigitur : Et quisquis usque in finem impudicus est, ab illo deseritur . Hoc autem ille occulto iudicio facere potest , iniquo non potest . Et fortasse ideo latet , ut plus timeatur , & minus superbiatur . Deinde iam sciens homo , gratia Dei se esse quod est , non incidat in alium superbiæ laqueum , ut de ipsa Dei gratia se extollendo spernat ceteros . Quo uitio alius ille Pharisæus , & de bonis quæ habebat Deo gratias agebat , & tamen se super publicanum peccata confitentem extollebat . Quid igitur faciat uirgo , quid cogitet , ne se extollat super eos uel eas , qui hoc tam magno dono carent ? Neque enim simulare debet humilitatem sed exhibere : nam simulatio humilitatis maior superbia est . Idcirco scriptura uolens ostendere ueracem humilitatem esse oportere , cum dixisset , Quanto magnus es , tanto humilia te in omnibus ; mox quoque subdidit , Et coram Deo inuenies gratiam : utique ubi se fallaciter humiliare non posset . Proinde quid dicemus ? Est ne aliquid quod uirgo Dei ueraciter cogitet , unde se fideli mulieri , non tantum uiduæ , uerumetiã conjugatæ præferre non audeat ? Non ego reprobam dico : nam quis nesciat obedientem mulierem inobedienti uirgini præponendam ? Sed cum ambæ sint obediens præceptis Dei , ita ne trepidabit sanctam uirginitatem etiam castis nuptiis , & continentiam præferre connubio , fructum centenum præire triceno ? Immo uero non dubitet , hanc rem illi rei præponere . Hic tamen uel hæc uirgo obediens , & Deum timens , illi uel illi mulieri obediens , & Deum timenti se anteferre non audeat , alioquin non erit humilis , & Deus superbis resistit . Quid ergo cogitabit ? Occulta scilicet dona Dei ,

Iacobi .4.

Matth. 13.

Eccl. 3.

Luc. 18.

Dei, quæ non nisi interrogacione tentationis, etiam semet ipsum unicuique declarât. Vt enim cetera taceam, unde scit uirgo, quamuis sollicita quæ sunt domini, quo modo placeat domino: ne forte propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem, nondum sit matura martyrio: illa uero mulier cui se præferre gestiebat iam possit bibere calicem dominicæ humilitatis, quem prius bibendum discipulis, amatoribus sublimitatis opposuit? unde inquam scit, ne forte ipsa nondum sit Thecla, iam sit illa Crispina? Certe nisi adsit tentatio, nulla doni huius sit demonstratio. Hoc autem tam magnum est, ut eum fructum centenū quidam intelligant. Perhibet enim præclarissimum testimonium ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco martyres, & quo defunctæ sanctimoniales ad altaris sacramenta recitentur. Sed quidquid significet fecunditatis illa diuersitas, uiderint qui hæc melius quàm nos intelligunt: siue uirginalis uita in centeno fructu sit, in sexageno uidualis, in triceno autem coniugalis: siue centena fertilitas martyrio potius imputetur, sexagena continentiae, & tricena connubio: siue uirginitas accedente martyrio centenum fructum impleat, sola uero in sexageno sit, coniugati autem tricenum ferentes ad sexagenum perueniant si martyres fuerint: siue, quod probabilius mihi uidetur, quoniam diuinæ gratiæ multa sunt munera, & est aliud alio maius ac melius: unde dicit Apostolus, Aemulamini autem dona meliora: intelligendum est plura esse quàm ut in tres differentias distribui possint. Primum ne continentiam uidualem aut in nullo fructu constituamus, aut ad coniugalis pudicitiae meritum deponamus, aut uirginali gloriæ coæque-

1. Cor. 7.

Matth. 20.

Matt. 13.

1. Cor. 12.

mus : aut coronam martyrii uel in habitu animi , etiam si desit tentationis examen , uel in ipsa passionis experientia constitutam , cuilibet illarum trium castitati sine ullo incremento fertilitatis accedere existimemus . Deinde ubi ponimus, quòd multi ac multæ ita custodiunt continentiam uirginalem , ut tamen non faciant quæ dominus ait , Si uis esse perfectus , uade uende omnia quæ habes , & da pauperibus , & habebis thesaurum in cælis , & ueni sequere me . Nec audeant eorum cohabitationi sociari , in quibus nemo dicit aliquid proprium , sed sunt eis omnia communia . Nihil ne putamus fructificationis accedere uirginibus Dei cū hoc faciunt ? Aut sine ullo fructu esse uirgines Dei , etiam si hoc non faciunt ? Multa ergo sunt dona , & aliis alia clariora , ac superiora singulis singula . Et aliquando alter fructuosus est donis paucioribus , sed potioribus : alter inferioribus , sed pluribus . Et quemadmodum inter se uel coæquantur uel distinguantur in accipiendis æternis honoribus , quis hominum audeat iudicare , dum tamen constet & multa esse ista diuersa , & non ad præsens tempus , sed in æternum prodesse meliora ? Sed dominum tres arbitror uoluisse fructificationis cōmemorare differentias , ceteras intelligentibus reliquisse . Nam & alius Euangelista solum cōmemorauit centuplum , nunquid ideo putandus est alia duo uel improbasse , uel ignorasse , ac non potius intelligenda reliquisse ? Sed ut dicere coeperam , siue centenus fructus sit Deo deuota uirginitas , siue alio aliquo modo , uel quem commemorauimus , uel quem non commemorauimus , sit illa fertilitatis intelligenda distantia : nemo tamen , quantum puto , ausus fuerit uirginitatem præferre martyrio , ac nemo dubitauerit

dubitauerit hoc donum occultum esse, si examinatrix desit tentatio. Habet itaque uirgo quod cogitet, quod ei profit ad seruandam humilitatem, ne uiolet illam, quæ supereminet donis omnibus caritatem, sine qua utique quæcunque alia uel pauca, uel plura, uel magna, uel parua habuerit, nihil est. Habet, inquam, quod cogitet ut non infletur, non æmuletur: ita se scilicet bonum uirginale coniugali bono multo amplius & melius profiteri, ut tamen nesciat utrum illa uel illa coniugata iam pati pro Christo possit, adhuc uero ipsa nõ possit, & in hoc ei parcat, quia infirmitas eius tentatione nõ interrogatur. Fidelis enim Deus, ait Apostolus, qui non uos permittit tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum ut possitis sustinere. Fortassis illi uel illæ coniugalis uitæ retinentes in suo genere laudabilem modum, iam possint contra inimicum ad iniquitatem cogentem etiam laniatu uiscerum & effusione sanguinis dimicare: illi autem uel illæ a pueritia continentes, seq; castrantes propter regnum cælorum, nondum tamen ualent talia uel pro iustitia, uel pro ipsa pudicitia sustinere. aliud est enim pro ueritate ac proposito sancto non consentire suadenti atque blandienti, aliud non cedere etiam torquenti atque ferienti. Latent ista in facultatibus & uiribus animorum, tentatione panduntur, experientia propalantur. Ut ergo quisque non infletur, ex eo quod uidet se posse, humiliter cogitet, quod ignorat aliquid præstantius se fortasse nõ posse: aliquos autem, qui illud, quo sibi gloriose notus est, nec habent, nec profitentur, hoc quod ipse non potest posse. Ita seruabitur non fallaci sed ueraci humilitate honore mutuo præuenientes, & alterutrum existi

2. Cor. 13.

1. Cor. 10.

Rom. 12.

D O I D I V I A V G V S T I N I

mantes superiores sibi . Quid iam dicam de ipsa cautela
 & uigilantia non peccandi ? Quis gloriabitur castum se
 habere cor : aut quis gloriabitur mundum se esse a pec-
 cato ? Integra est quidem ab utero matris sancta uirgini-
 tas : sed nemo , inquit , mundus in conspectu tuo , nec
 infans cuius est unius diei uita super terram . Seruatur
 & in fide inuiolata quædam castitas uirginalis , qua ec-
 clesia uni uiro uirgo casta coaptatur : sed ille unus uir ,
 non tantum fideles mente & corpore uirgines , sed om-
 nes omnino Christianos ab spiritualibus usque ad car-
 nales , ab Apostolis usque ad ultimos pænitentes , tan-
 quam a summis cælorum usque ad terminos eorum do-
 cuit orare , & in ipsa oratione dicere admonuit , Et di-
 mitte nobis debita nostra , sicut & nos dimittimus de-
 bitoribus nostris : ubi per hoc quod petimus , quid etiã
 nos esse meminerimus ostendit . neque enim pro eis de-
 bitis , quæ totius præteritæ uitæ , in baptismo per eius pa-
 cem nobis dimissa esse confidimus , nos præcepit orare
 dicentes , Dimitte nobis debita nostra , sicut & nos di-
 mittimus debitoribus nostris . alioquin hanc oratio-
 nem catechumeni potius usque ad baptismum orare de-
 berent . Cum uero eam baptizati orant , præpositi & ple-
 bes , pastores & greges , satis ostenditur in hac uita , quæ
 tota tentatio est , neminem se tanquam ab omnibus pec-
 catis immunem debere gloriari . Proinde etiam uirgines
 Dei irreprehensibiles quidem sequuntur agnum quo-
 cunque ierit , & peccatorum purgatione perfecta , & uir-
 ginitate seruata , quæ non rediret amissa : sed quia ea-
 dem ipsa Apocalypsis , ubi tales tali reuelati sunt , etiam
 hinc eos laudat quòd in ore eorū non sit inuentum men-
 dacium : meminerint etiam in hoc esse ueraces , ne se
 audean

Prou. 20.

Iob. 25.

2. Cor. 11.

Matt. 6.

Iob 7.

Apoc. 14.

audeant dicere non habere peccatū . Idem quippe Ioannes qui illud uidit hoc dixit , Si dixerimus quia peccatum non habemus , nos ipsos decipimus , & ueritas in nobis non est . Quòd si confessi fuerimus delicta nostra , fidelis est , & iustus , ut dimittat nobis peccata nostra , & purget nos ab omni iniquitate . Quòd si dixerimus quoniam non peccauimus , mendacem faciemus eum , & uerbū eius non erit in nobis . Hoc certe non illis aut illis , sed Christianis omnibus dicitur , ubi & uirgines se debent agnoscere . Sic enim erunt sine mendacio , quales in Apocalypsi apparuerunt . Ac per hoc quandiu nō dum est in cælesti sublimitate perfectio , inuituperabiles facit in humilitate confessio . Sed rursus ne per occasionem huius sententiæ , quisquam cum mortifera securitate peccaret , seque trahendum permetteret , tanquam mox delendis facili confessione peccatis , continuo subiecit , Filioli mei , hæc scripsi uobis ut non peccetis . Et si quis peccauerit , aduocatum habemus ad patrem Iesum Christum iustum , & ipse propitiator est peccatorum nostrorum . Nemo itaque a peccato tanquam rediturus abscedat , nec se huiusmodi quasi societatis pacto cum iniquitate constringat , ut eā confiteri magis quàm cauere delectet . Sed quoniam etiam fatigentibus uigilantibusque ne peccent , subrepunt quòdam modo ex humana fragilitate peccata , quamuis parua , quamuis pauca , non tamen nulla : & eadem ipsa fiunt magna & grauia , si eis superbia incrementum & pondus adiecerit : a sacerdote quem habemus in cælis , si pia humilitate perimantur , tota facilitate purgantur . Sed non contendo cum eis , qui asserunt hominem posse in hac uita sine ullo peccato uiuere : non contendo , non contradico .

1. Ioan. 1

Apoc. 14.

1. Ioan. 2. 1

2. Cor. 10. tradico. Fortasse enim ex nostra miseria magnos metimur, & cōparantes nosmet ipsos nobismet ipsis, non intelligimus. Vnum scio, quòd isti magni, quales non sumus, quales nondū experti sumus: quanto magni sunt, tanto humiliant se in omnibus, ut corā Deo inueniant gratiā. Quamlibet enim magni sint, nō maior est seruus domino suo, uel discipulus magistro suo. Et utique ille
- Ecclesiast. 13. Ioan. 13. Matt. 11. meo: Et ille est magister, qui dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis, & discite a me. Et tamen quid discimus? Quoniam mitis sum, inquit, & humilis corde. Hic dicet aliquis, Non est hoc iam de uirginitate sed de humilitate scribere. quasi uero quæcunque uirginitas, ac nō illa quæ secundum Deum est, a nobis prædicanda suscepta sit. Quod bonum quanto magnum uideo, tanto ei ne pereat, futuram superbiā pertimesco.
1. Ioan. 4. Esa. 66. Non ergo custodit bonum uirginale, nisi Deus ipse qui dedit, & Deus caritas est. Custos ergo uirginitatis caritas, locus autem huius custodis humilitas. Ibi quippe habitat, qui dixit, super humilem & quietum & trementem uerba sua, requiescere spiritum suum. Quid itaque alienum feci, si bonum quod laudauī, uolens tutius custodiri, curauī etiam locum præparare custodi? Fidenter enim dico, nec mihi ne irascantur timeo, quos ut mecū sibi timeant sollicitus moneo: facilius sequuntur agnum, etsi non quocunque ierit, certe quousque potuerint, coniugati humiles, quàm superbientes uirgines. Quo modo enim sequitur ad quem non uult accedere? aut quo modo accedit ad quē non uenit ut discat, quoniā mitis est & humilis corde? Illos proinde sequētes, agnus quocunq; ierit ducit, in quibus prius ipse
- Apoc. 14. ubi
- Matth. 11.

ubi caput inclinet inuenerit. Nam quidam superbus & dolosus hoc ei dixerat, Domine sequor te quocunq; ieris: Cui respondit, Vulpes foueas habent, & uolatilia cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Arguebat nomine uulpium astutam dolositatem, & nomine uolucrum uentosam elationem, in quo ubi requiesceret piam non inueniebat humilitatem. Ac per hoc nusquam omnino secutus est dominum, qui se promiserat, non usque ad quendam profectum, sed omnino quocunq; ierit secuturum. Quapropter hoc agite uirgines Dei, hoc agite, sequimini agnum quocunq; ierit. Sed prius ad eum quàm sequamini, uenite, & discite, quoniam mitis est & humilis corde: humiliter ad humilem uenite si amatis, & ne discedatis ab illo, ne cadatis. Qui enim timet ab illo discere, rogat, & dicit, Non ueniat mihi pes superbiæ. Pergite uia sublimitatis pede humilitatis. Ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad iacentes. Dona eius illi seruanda committite, fortitudinem uestram ad illum custodite. Quidquid mali ipso custodiente non committitis, tanquam remissum ab illo deputate: ne modicum uobis existimantes dimissum, modicum diligatis, & tundentes pectora publicanos ruinosam iactantiam contemnatis. De uiribus uestris expertis caute, ne quia ferre aliquid potuistis, inflemmini: de inexpertis autem orate, ne supra quàm potestis ferre tentemini. Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Cum aliorum bona, forte ignota uobis, benigne creduntur a uobis, uestra uobis nota non comparatione minuuntur, sed dilectione firmanantur. Et quæ forte adhuc desunt, tanto dan-

Matth. 18.

Matth. 11.

Psal. 38.

Psal. 58.

Luc. 7.

1. Cor. 10.

tur

tur facilius, quanto desiderantur humiliter. Perseuerantes in numero uestro præbeant uobis exemplum, cadentes autem augeant timorem uestrum. Illud amate ut imitemini, hoc lugete ne inflemini. Iustitiam uestram nolite statuere, Deo uos iustificanti subdite: ueniam peccatis donate alienis, orate pro uestris: futura uigilando uitate, præterita confitendo delete. Ecce iam tales estis, ut professæ atque seruata uirginitati, ceteris etiam moribus congruatis. Ecce iam non solum homicidiis, sacrificiis diabolicis, & abominationibus, furtis, rapinis, fraudibus, periuriis, ebriositatibus, omniq; luxuria & auaritia, simulationibus, æmulationibus, impietatibus, crudelitatibus abstinetis: uerum etiam illa quæ leuiores uel sunt uel putantur, non inueniuntur nec oriuntur in uobis, non improbus uultus, non uagi oculi, non infrænis lingua, non petulans risus, non scurrilis iocus, non indecens habitus, non tumidus aut fluxus incessus. Iam non redditis malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Iam postremo illam mensuram dilectionis impletis, ut ponatis animas pro fratribus uestris. Ecce iam tales estis, quia & tales esse debetis. Hæc addita uirginitati, angelicam uitam hominibus, & cæli mores exhibent terris. Sed quanto magni estis, quicumque ita magni estis, tanto humiliate uos in omnibus, ut coram Deo inueniatis gratiam, ne superbis resistat, ne se exaltantes humiliet, ne inflatos per angustia in portam non traiciat, quanquam superflua sit sollicitudo, ne, ubi feruet caritas, desit humilitas. Si ergo nuptias contempseritis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominum, toto corde amate speciosum forma præ filiis hominum: uacat uobis, liberum est

Rom. 10.

1. Petri 3.

1. Ioan. 3.

Ecclesiast. 3.

Psal. 44.

est cor à coniugalibus uinculis, inspicite pulchritudinem amatoris uestri: cogitate æqualem patri, subditum & matri: etiam in cælis dominantē, & in terris feruentem: creatē omnia, creatum inter omnia. Illud ipsum quod in eo derident superbi, inspicite quàm pulchrum sit: internis luminibus inspicite uulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti ualeant cogitate, hæc in statera caritatis appendite, & quidquid amoris nuptiis uestris impendendum habebatis, illi rependite. Bene quod interiorem uestram pulchritudinem quærit, ubi uobis dedit potestatem filias Dei fieri: non quærit a uobis pulchram carnem, sed pulchros mores, quibus frænetis & carnem. Non est cui de uobis quisquam mentiatur, & faciat se iure zelantē. Videte cum quanta securitate ametis, cui displicere falsis suspicionibus non timetis. uir & uxor amant se, quoniam uident se, & quod non uident, timent in se. Nec certi gaudent ex eo quod in manifesto est, dum in occulto suspicantur plerunque quod non est. Vos in isto quem oculis non uidetis, & fide conspicitis, nec habetis uerum quod reprehendatis, nec eum metuitis, ne de falso forsitan offendatis. Si ergo magnum amorem coniugibus deberetis, eum, propter quem coniuges habere nolulistis, quantum amare debetis? Toto uobis figatur in corde, qui pro uobis fixus est in cruce: totum teneat in animo uestro, quidquid nolulistis occupari connubio. Parum uobis amare non licet, propter quem non amastis & quod liceret. Sic amantibus mitem & humilem corde, nullam uobis superbiam pertimesco. Pro modulo itaque nostro & de sanctitate qua sanctimonia

Ioan. i.

Matth. ii.

les proprie dicimini, & de humilitate qua conseruatur
 quidquid magnum dicimini, satis locuti sumus. Di-
 Dan.3. gnus autem illi tres pueri, quibus refrigerium in igne
 præbebat, quem corde feruentissimo diligebant, uos
 de hoc opusculo nostro, uerborū quidem numero lon-
 ge breuius, sed pondere auctoritatis multo grandius,
 in hymno, quo ab eis Deus honoratur, admoneant.
 nam sanctitati humilitatem in Dei laudatoribus con-
 iungentes, apertissime docuerunt, ut tanto quisque ca-
 ueat ne superbia decipiatur, quāto sanctius aliquid pro-
 fitetur. Proinde uos quoque laudate eum, qui uobis
 præstat, ut in ardore medio sæculi huius, quamuis con-
 iugio non copulemini, non tamen uramini: & orantes
 etiā pro nobis, benedicite sancti & humiles corde do-
 minum, hymnum dicite, & superexaltate eum in sæcu-
 la. Amen.

FINIS.

Lectōri S.

CVM in sacris omnibus libris multa mendose legantur, non tam in scitia, quàm improbitate eorū, qui se emendasse profitentur: nostrum consilium fuit, maximeq; curauimus, ut in pristinam integritatem, quæ deprauata sunt, restituta ad communem utilitatem edantur. Hic autem subiecimus, quæ uel meliora suis locis reposuimus in Ambrosii, Hieronymi, & Augustini opusculis de uirginitate; uel satis commodam habere sententiam putauimus, ut neque reiici possent, nec tamen receptæ iam lectioni omnino præferri deberent. Hæc interim: maiora autem, uiuente Pio III. Pont. Max. quem nobis Deus quamdiutissime seruet incolumem, expectabis, & ualebis.

Romæ, M. D. L XII.

Emendata in libris Diui Ambrosii de uirginitate.

Prior lectio.

Correctio.

Pagina 8. uersu 26. dextris eius	dextris tuis
b. 14. a Libano transibis	a Libano sponsa, ueni huc a Libano . transibis
pag. 11. 19. nam caue	nam cauere
pag. 12. 30. qui credere	quia credere
b. 22. ubi sacrarium	ubi sacrificium
pag. 13. 11. Eadem quisque	eadem sibi quisque
pag. 14. 7. ista uultu	ista uel uultu
pag. 16. b. 12. Quid agimus hodie? aut	Quid agimus? hodie aut
pag. 19. b. 23. si quam nostro	si qua est, nostro
pag. 20. 21. osculo oris	osculis oris
b. 28. sed plures pauisset, si iam tunc qui	plures potuit, si plures iam tunc, qui
pag. 21. b. 1. equus raptatur indomitus	equus raptatur indomitus.
pag. 22. 10. prope uolatu	præpes uolatu
pag. 25. 5. bonæ conscientia	bene conscientia
pag. 27. b. 20. occultior euentu 25. deposcit	occultior . ibi tum euentu depoposcit
pag. 28. b. 21. minime iurgentium.	minime gentium
pag. 29. b. 1. prohibeat non inuenitur.	prohibeat, inuenitur
2. oblationis non inuidetur	oblationis, inuidetur
pag. 32. b. 25. iunctus es	uinctus es
b. 26. iunctus es	uinctus es
pag. 35. 23. & custodias	ut custodias

Prior Lectio

pag. 40. b. 11. neque de
 pag. 41. 26. Et portæ eius
 pag. 42. 11. Si quæsiuit iuxta
 pag. 43. 25. currus rotæ
 pag. 49. 5. uiuificet ille
 20. obsequitur

Correctio.

neque enim de
 Portæ eius
 Si quæsiuit in noctibus, iuxta
 currus porro rotæ
 uiuificet uos ille
 obsequii

Varia lectiones in eisdem libris.

Impressa lectio

Pag. 2. b. 13. dimittat illam
 21. Ac fortasse
 pag. 5. b. 10. ut in commemo-
 ratione.
 pag. 7. b. 2. sed Apostoli.
 9. sacra doctrina uerbis
 pag. 9. 13. qui scit
 pag. 12. 28. extorrem
 29. credere timent
 pag. 14. b. 22. quasi uiri specie
 mota trepida,
 27. titubauerat aspectu
 pag. 15. 30. quas seruau
 b. 31. naturam induerat
 pag. 18. 22. At illa clamare cœ-
 pit
 pag. 19. 21. Aesculapii
 pag. 20. 11. thori regni cælestis
 b. 2. a castellis. Denique quò
 euadat uidete
 20. acquisiuit?) atq; astantibus
 pag. 21. b. 5. suspecta est. Mo-

Varialectio.

remittat illam
 At fortasse
 ut commemoratione
 sed spiritus
 Dei uerbo
 qui scis
 exortem
 cedere timent
 quasi uirum, specie mota tre-
 pidauit.
 turbauerat aspectum
 quas custodiui
 nostram induerat.
 At illa clamaret
 Aesculapio
 thori cælestis
 a castellis denique quò euadat
 uide
 acquisiuit?) astantibus
 suspecta. Modico

Impressa lectio

Varia lectio

dico	
pag. 22. 14. risus subrepat	risus obrepat
28. non amisit	non omisit
b. 24. qui, si idem ignis eos con-	quos idem ignis si contigisset
tigisset	
pag. 23. b. 6. ut mutatio	ut mutatione
pag. 24. b. 14. est Christus no-	Christus est nobis
bis	
pag. 25. 28. mandata secretis	mandanda secretis
pag. 26. 6. sacri cruoris	sancti cruoris
pag. 27. 6. incincto sinu	incinctæ sinu
b. 25. affectu conuenta	affectu commota
pag. 31. b. 23. potuissim reuo-	reuocare possem
care	
pag. 32. b. 5. ignorantia remea-	ignoratione remeauerint
uerint	
pag. 33. b. 13. uirginitas existi-	uirginitas aestimatur
matur	
pag. 34. 6. Tamen deinde	Tum deinde
pag. 36. 22. frater meus	fraternus meus
pag. 37. 9. caue iterum corpo-	caue ne iterum corporeæ cupi-
reæ cupiditatis illuuiem, ne	ditatis illuuiem, lutulentique
lutulenti	
pag. 38. b. 23. plenum est	repletum est
pag. 39. 3. Nunc expecta	Nunc specta
14. uirtute uerbi	uoce uerbi
b. 11. inueni illum: uocaui eum	inueni: uocani eum
17. tu rursus	exi, rursus
23. agnosce	cognosce
pag. 40. b. 11. designet alloquio	disignet alloquio
pag. 41. 3. patrem Deum	Deum patrem
6. præsepia quæritis	præsepia quæritis
pag. 42. b. 6. & clama	et exclama
pag. 43. b. 28. Vbi sunt pedes	Vbi sunt domini pedes
	uerbi

Impressalectio

Varia lectio

uerbi

31. o medicus
 pag. 44. b. 10. esse prospexit
 pag. 45. b. 2. deserere terrena
 9. maculare non debent
 29. processumq; accipiunt
 pag. 46. b. 16. discordantibus
 in terris
 pag. 48. 4. excusit caliginem

o medicis
 esse perspexit
 sede terrena
 uiolare non debent
 processusq; accipiunt
 discordantibus internis
 discussit caliginem

Emendata in diuo Hieronymo
 de uirginitate.

Prior lectio

Correctio

Pag. 51. 13. quòd se non
 b. 23. se fertur
 pag. 52. 17. pretiosa monilia
 24. & pallorem
 pag. 53. b. 15. in Hebraico
 24. a caritate Dei
 pag. 54. 29. si me scierit
 pag. 55. 4. & te de suo
 14. ascendit super
 20. legunt: animal paruum
 pag. 56. 11. aliud est possidere
 18. ut faciem
 b. 5. oppressum atque
 7. pedibus nostris
 pag. 57. b. 8. quid diligere
 18. Dei miserentis
 pag. 58. 1. qui extrema

quòd non se
 fertur se
 pretiosa monilia
 atque pallorem
 in Hebræo
 a caritate Christi
 si me scierint
 & de suo
 ascenderit super
 legunt: Herinaceus animal paruum
 aliud possidere
 ut faciam
 oppressum eum, atque
 pedibus uestris
 quid eligere
 miserentis Dei
 qui in extrema
 b.3. quàm

b. 3. quàm paupertatem	nisi paupertatem
pag. 59. 12. uestitum, his gaudent	uestitum, his contenti sunt, his gaudent
18. sunt consideras	sunt tantum consideras
pag. 60. 20. & orientis	& in orientis
pag. 61. b. 30. Scripsi ad	Scripsi & ad
pag. 62. 6. linguis in	linguis præcipue in
11. calciatis pedibus	calciatisq; pedibus
b. 1. absque arbitris	& absque arbitris
pag. 63. b. 11. uocare debeo	habeo uocare sponsam domini
sponsam domini mei, ut	mei Iesu Christi, ut
21. nulla est enim in hoc	nulla in hoc
pag. 64. 1. Comedit? Non	comedit? dicit Apostolus. Non
3. & harum	& retores harum
30. aut rapiant	ut rapiant
b. 12. Iacob somniantes	Iacob somniantis
26. fames, carcerem	famem, carcerem
pag. 65. 3. Virgines	Et uirgines
19. filii thalamos	fili thalamum
31. pectoralis, sed	pectoralis tui, sed
b. 6. Spera in domino quia confitebor	Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor
17. allidit ad	allidit eos ad
23. & squalida cutis	squalida cutis
25. repugnantem somnus	repugnantem carnem somnus
27. Languentes aqua	Languentes monachi aqua
pag. 66. 2. hominem suum iam carne præmortua	hominem sua iam carne præmortuum
6. Non depudescō infelicitatis meæ	non erubescō confiteri infelicitatis meæ miseriam
20. Si autem hoc sustinent illi	Si autem has sustinent tentationes libidinum;
28. facile aliis caremus	facile his caremus
b. 2. ad Timotheum. Iam noli	ad Timotheum sic scribit. Iam inquit

Prior lectio

inquit aquam
 8. consilio, quam
 19. potest, post ebrietatem
 pag. 67. 1. ingrediuntur in ecclesiam
 3. Respexit
 23. de scripturis diuina re-
 sponsa
 25. sui & tituli sit
 28. quomodo & primus
 b. 14. in lumbis, &
 28. omnes igitur
 pag. 68. 8. Rex enim erat, alium
 9. per quem cecinit
 15. uirgines ruant
 b. 15. ut sub uirginali
 27. in prouerbiis spernit
 pag. 69. 13. continentia habere
 16. gaudens. Centesimus
 22. Dei sponsa properas?
 b. 6. manu, ut benedicere eos
 putes uelle, si
 26. & refectio sotietatem
 pag. 70. 11. amore superatur
 20. Quidquid in me fuerit hu-
 moris, excoctum
 21. sunt in ieiunio
 22. adhæserunt ossa mea
 b. 7. Nolo illi
 24. cuius terra tribulos & spi-
 nas generat, & cuius herba
 pag. 71. 6. initium sumpsit nu-
 ptiarum

Correctio.

noli aquam
 consilio usus, quam
 potest, ebrietatem
 ingrediuntur ecclesiam
 & respexit
 in scripturis resperfa diuinis
 sui est tituli
 quo modo primus
 in lumbis eius, &
 omnis igitur
 Rex enim alium
 per quem se cecinit
 uirgines Deo sacrata ruant
 & sub uirginali
 in prouerbiis arguit
 continentia se sciat habere
 gaudens, quia centesimus
 Dei sponsa quid properas?
 manu, benedicere eos putes, si
 & refectio ad uesperam satieta-
 tem
 amore superetur
 Quidquid enim in me fuerit
 humoris libidinis excoctum
 sunt a ieiunio
 adhæsit os meum
 Nolo te illi
 Cui terra tribulos, & spinas
 germinat, cui herba
 initium nuptiarum

Prior lectio

Correctio

27. caligas non habebant b. 1. Latabitur? plus	caligas non habuere Latabitur? sed dicit forsitan mater tua: plus
6. seruasti. Indignaris pag. 72. 17. propheta complorat	seruasti. et nunc indignaris propheta comploret.
b. 8. nidos, ubi requiescant: filius autem pag. 73. 14. angelis eius, ne uasa	nidos: filius autem angelis eius, ut custodias quae cepisti, ne uasa
28. sunt. Inter pag. 74. 2. Et certe sedulo	sunt. et inter Et certe Martha sedulo
4. praeprabat. Martha	praeprabat. cui Iesus, Martha
9. hospitem suscipiant	hospitem suscipiant
14. ubi pascis, ubi cubas	ubi pascas, ubi cubes
19. & expergefata	& terrefata
pag. 75. 20. uitandum est, ne	uitandum est cautijs, ne
b. 15. glorieris, & ne de	glorieris, ne de
20. scribere superfluum sit	scribere ad te superfluum puto
pag. 76. 12. quibus	quibusq;
b. 22. de scripturis dubitas	de scripturis sanctis dubitas
pag. 77. 13. uentri sunt proxima	uentri proxima
14. uiuis: & nunquid	uiuis: nunquid
22. Nec tibi	Ne tibi
b. 20. tantum repente	tantum tepente
pag. 78. 4. et errori	ut errori
17. liuentes habuisse	liuentes me habuisse
21. sunt aliena	sunt tibi aliena
26. Nemo enim potest	Nemo potest
b. plerosque	plerasque
24. fores eorum	fores earum
29. Petri semiuiris	Petri Apostoli, semiuiris
pag. 79. 18. Habentes aut	Habentes autem
19. quid sua oratione	in sua oratione quid

b. 8. esse

Prior lectio

b. 8. esse cum eodem
 pag. 80. 6. Quidquid iusserit
 30. quibus paruulis
 b. 8. suo cubili
 14. redditum fertur
 pag. 81. 2. superfluum de
 7. Talem uero uirum
 18. despiciens, & Christo
 25. nec cibi sumantur
 pag. 28. b. 11. a caritate Dei
 pag. 83. 14. pauci. Vnde
 24. confundit. Quando
 b. 9. aiebat. Cursum
 pag. 84. 3. prospiciens quasi
 8. carnis & spiritus
 24. sicut umbraculum

Correctio

esse cum domino suo
 quidquid dixerit
 quibus cum paruulis
 suo cubiculo
 redditum, a decano fertur
 superflue de
 Talem uirum
 despiciens, Christo
 nec cibus ante sumatur
 a caritate Christi
 pauci, quoniam amabat illam.
 Vnde
 confundit, quoniã caritas Dei
 diffusa est in cordibus nostris.
 Quando
 aiebat. Bonum certamen cer-
 tauri, cursum
 proficiscens quasi
 carne & spiritu
 sicut signaculum

Varia lectioes in diuo Hieronymo
de uirginitate.

Impressa lectio

pag. 50. b. 9. operuerit caput
 25. quem laudant
 pag. 51. 13. præpollentem
 16. ac præpotentem familia
 pag. 52. 18. redduntur scriniis
 26. uarie nutabant

uaria Lectio

operuit caput
 quam laudes
 præpotentem
 lege sic. ac ministeria familia
 scriniis recluduntur
 uarie nutabantur

Impressalectio

29. ingenii, &
 b. 1. factum est
 16. magalia
 pag. 54. 17. qui nec naufragiis
 parcerent, ne captiuitatibus
 flecterentur
 b. 18. dilexit anima
 pag. 55. 1. & opibus
 b. 10. quiescere facit peccata
 maxima
 17. Babylonios allides
 pag. 56. 31. in se uerissimum
 probans quod dicitur
 b. 1. procedit de ore
 20. rigore restinguuntur
 27. incendium docuit
 30. rigore, calor
 pagina. 58. 11. imponere Chri-
 stiani
 b. 17. Porphyrius calu mniatur
 pag. 59. b. 28. uideari s doctri-
 nam
 pag. 60. 31. instituere uirginem
 b. 6. decrescunt, quæ
 30. perfectis, &
 pag. 61. 24. pallio reuoluto
 b. 1. qui bene semper olet
 pag. 62. b. Agnes uita
 13. ut possimus
 pag. 64. 23. corpore detinemur
 pag. 65. b. 22. sacco membra
 deformia
 pag. 66. 10. domino increpante
 22. quæ deliciis fruitur

Varialectio

eloquii, &
 factum audiuius
 mappalia
 quæ nec naufragiis parceret,
 nec captiuitatibus, flectere-
 tur
 diligit anima
 & operibus
 peccata maxima cessare facit
 Babylonios allides
 & in se uerissimum probat
 egredietur de ore
 frigore restinguuntur
 incendia docuit
 frigore, calor
 ponere christiani
 Philosophus calumniatur
 uideatur, doctrinam
 instruere uirginem
 decrescere, quæ
 præfectis, &
 pallio reuelato
 qui semper bene olet
 Agnis uita
 possimusque
 corpusculo continemur
 sacco membra deformi
 domino imperante
 quæ in deliciis uiuit
 29. hostis

Impressa lectio

29. hostis nobis inclusus
 b. 11. implere discursus
 pag. 68. 18. uideas plerasque
 uiduas antequam nuptas, infel-
 icem conscientiam mentita tan-
 tum ueste protegere
 pag. 69. 29. mortem optaue-
 rint
 30. non libenter acceperint
 pag. 70. b. 8. Mulieris lex ista
 est, non mea
 pag. 72. 27. quò paruulos
 22. parturiebat
 pag. 74. b. 14. ne quando effi-
 ciar sicut operta super greges
 sodalium tuorum
 pag. 75. 20. ne inanis gloriæ ar-
 dore
 pagina 76. 2. liberant ad uiden-
 dum
 pagina. 77. 10. abstrito, para-
 fitos
 20. aut lyrici festiuo carminis
 metro
 b. 9. quas mihi prateritorum
 recordatio peccatorum ex-
 imis uisceribus eruebat,
 pag. 78. 4. commodaret
 7. deierare cœpi
 b. 26. buccinant
 pag. 79. b. 3. diuisis cellulis ha-
 bitabant
 15. suas gentili
 19. deterrimum atque

Varia lectio

- hostis intus inclusus
 implere officium
 Et plerasque uideas matres, an-
 tequam nuptas, infelici cōscien-
 tia mentitas tantum se ueste
 fusca protegere
 mortem optare debuerint
 libenter haurire debuerunt
 Lex ista non est mea, sed Dei
 quò paruuli
 pariebat
 ne uagari incipiam per greges
 ne uana gloriæ errore
 librant ad uidendum
 abtrito, parasitos
 aut lyricis festiua carminibus
 metro
 quæ mihi prateritorum recor-
 datione peccatorum ex inti-
 mis uisceribus erumpebant,
 daret
 Deum iurare cœpi
 tuba canunt
 diuersis cellulis habitant
 Sauches gentili
 teterrimum atque

Impressa lectio

Varia lectio

pag. 80. 10. ut institutum est, & sale solo	institutum est ieiunium sale & oleo
pag. 82. 7. formidabat, cum angelo fabulatur	formidauerat, cum angelo loquebatur
pag. 83. b. 6. de carcere & presentis laboris	ex corpore, & ob presentes labores
pag. 84. 18. dicere canticum	scire canticum

Emendata in libro diui Augustini de uirginitate.

Prior lectio

Correctio

pag. 85. 22. esse animos	esse homines
b. 2. eius gratior	eius ideo gratior
pag. 86. 2. illa unius sanctae uirgines	ille unius sanctae uirginis
pag. 88. 8. qui eum	quia eum
28. coniugalem habet	coniugalem non habet
b. 7. uanam scientiam	uanam sententiam
30. praecipuum enim	praecipuo enim
pag. 89. b. 21. etiam deterreret	etiam sic deterreret
pag. 90. b. 29. esse confidat	esse confidunt
39. timuit	timuerunt
31. concupiuit	concupierunt
pag. 91. 16. legissent	elegissent
pag. 93. b. 29. non dicunt	non ducunt
pag. 97. 18. de ditissima	de tutissima
b. 20. quod intendi	quod intendimus
pag. 98. 28. quacunque possideo	qua possideo
b. 23. ait ille hoc facite	at ille hoc fecit illo tempore
pag. 99. b. 23. praecipio	praecipiam
pag. 103. 1. pia castitate	pie, caste
pag. 104. b. 21. Non ergo	Non ego
pag. 106. 28. illud quo	illud qui, quo
pag. 109. 14. frangitis & carnem	franetis & carnem



